

LVCVBRATIONES ORATORIÆ,

Regum, Principum, Antiſtitum, cæterorumq; Illuſtrium Virorum Panegyricis & Elogijs inſignitæ.

Sub Auſpicijs & principe patrocinio

Celſiſsimi ac Reuerendiſsimi Principis ac Dñi,

D. ANDREÆ TRZEBICKI

EPISCOPI CRACOVIENSIS,

DVCIS SEVERIÆ,

In lucem dari cæptæ

A

P. ANDREA KANON, SOCIET. IESV,

Olim compluribus annis Rhetoricæ Profeſſore.

Anno Pontificis Chriſti, M. DC. LXXVI.


In Officina FRANCISCI CEZARY, S. R. M. Typ.

APPROBATIO.

LVcubrationes Oratorias A. R. P. ANDREÆ KANON è Soc. Iesu, ad eruditi sæculi parem dignitatem, cæliq́ue Sarmatici gloriam, cultiore stylo & ingenio concinnatas, intentis accuratiùs lustraui oculis, & altâ meditatione perpēdi. Opus copiosè loquentis sapientiæ, & reconditarum literarum plenum; Magnis Nominibus, quibus immortalitatem præstat, & Principe Patrono, cuius auspicijs dedicatur, tandem celebratâ Authoris sui famâ sanè dignum. Igitur cùm suum illi verum decus & pretium, publica pridem æstimatio, Orbisq́ue Censura, in singularibus sparsim impressis atq; editis opusculis contulerit; iterum, vt in vno compactum Volumine, lucem sibi cognatam aspiciat, Typisq́ue nouis vulgetur, potestatē facio, Anno 1676. Die 30. Ianuar.

M. ANDREAS KVCHARSKI,
Sac. Th. D. & Professor, Canonicus Eccles. Cathedr. Cracou. eiusdemq́ Diœcesis Librorum Censor.





Facultas

PRÆPOSITI PROVINCIALIS SOCIET: IESV PER POLONIAM.

CVm Lucubrationes Oratorias, Regum, Principum, Antistitum, cæterorumque Illustrium Virorum, Panegyricis & Elogijs insignitas, Auctore P. Andreâ Kanon, Societatis nostræ Sacerdote, aliquot eiusdem Societatis Patres recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; potestate mihi factâ ab Adm: R. P. IOANNE PAVLO OLIVA, præfatæ Societatis Generali Præposito, Facultatem concedo, vt Typis mandentur; si ijs ad quos pertinet, ita videbitur. Cuius rei gratiâ has Literas manu meâ firmatas, sigilloque munitas dedi Cracouiæ, 4. April: Año 1674.

Hyacinthus Koczowski.

Lectori

Lectori peramico.

ORatoriæ Lucubrationis vmbratilem apparatum, vt in solem & publicũ proferrẽ, quà amicorum hortatu, quà Maiorũ suasu (qui pro imperio mihi erat) inductus sum. His accessit studium quoquo modo merendi de Religiosa Ordinis nostri iuuentute Rhetoricis incumbente; si, quàm perdiu profitebar artem, eius aliquod specimen exhiberem in opere Auctori suo superstite. Inpulit præterea cunctabundum, iactura paulò melioris opellæ, & ex iactura metus, ne idem reliquis contingeret, si diutiùs volatiles inter chartas, quaquauersum sparsæ, prælíq; expertes delitescerent. Deniq; mihi dictum arripui: * Effinge aliquid & excude, quod sit perpetuò tuum. Itaq; supinum aliàs, torpensq; iam ætate ingenium torsi, extorsiq; id à me semel, ad quod semper, multorum exspectatione prouocabar. Etsi autem (quæ docentium quoq; gloria est) cultiora his, eòq; digniora lectu, mei quondam in Rhetborica nostrate Auditores prodidêre, magno eruditorum oblectamento; tamẽ & origini, vnde hi emanârunt riui, suam non defore gratiam confido: nam pretium, nisi ab aliqua Lectoris æstimatione frustra sperem. Tullij sequacem agnoscent facilè Tulliani, in hac ipsa Latini sinceritate sermonis. Illum primis iam inde ab annis, coli amariq; à me cœptum, sedulâ imitatione prosecutus, (ductu Quintiliani) tantùm non iuraui in magni verba Magistri. Styli diuersitatem sicubi aduerteris, eam in ætatum discrimina velim conijcias. Florem verno tempori, maturitatem autumno

* Plin. Secund. L. 1. Epist. 3.

debent

debent poma; intempestiuè præcerpta, acerbiorem ferunt succum. Idem Lectori quod viatori plerumq́ vsu venit: vt modò plana, modò aspera & confragosa ei emetienda sint. Romanorum disertissimus, in tanta dissimilitudine quàm sui dissimilis? Confer si lubet, Quinctianam Roscianamq́ Milonianæ defensioni, & comperies, tantùm eas distare inuicem quantùm ver ab æstate, adolescentia ab virili æuo. Et ne à seculi huius genio prorsus abhorrere viderer, collecto adstrictoq́ scribendi genere ita vsus sum, vt tamen rerum verborumq́ claritudinem, obscuro acumini & leuioribus præhaberem argutijs.

Quòd verò dedicatorias ex more præfatiunculas, à singulis orationibus & panegyricis non abstraxerim, sed suo integras in loco esse voluerim, datum id, & prærogatiuæ Illustriũ Virorum, vtpotè quorum tunc honori velificatum est, nè à palatijs eorundem sua vestibula auferrem. Datum insuper commodo Tironum eloquentiæ, ad similia nitentium, ac discentium, mox docenda scribendaq́ à se, nisi velint in censoriũ illud incurrere. *Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem imitantur, & sibi ipsi exempla sunt. *Ad metam primi opusculi* finitimum Oratori Poëtam *admisi, qui* solus per limen vtrumq; Deorum, ius habet, *non tam illius licentiæ, quàm placito maiorum mentium obsequutus. Cæterùm religiosi vbiq́ temperamenti memor, neminem vltra merita indulgentiore pennâ extuli; tam remotus à comminiscendo, quàm à necessitate assentandi. Vale his initiate Lector, & inualidi auctoris conatum, robusto fauore, vt cæpisti promoue. Non vtiq́ nescius:* Nullum sine venia placuisse ingenium. Seneca.

† Iunior Plinius ad Auitum.


Ad

Ad Insigne gentilitium suæ Celsitatis alluditur.



Thrax, Aquilæ grauis instat: OLOR cōtra expedit alas,
Hastatamque Sui roboris armat Opem;
Et belli auspicium, & neruum laturus in hostem,
Clasica, non clangens ore, sed *ære*, sonat.

Celsis-



CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

D. ANDREÆ TRZEBICKI

ALLOCVTIO PANEGYRICA.

Am olim tritam Scriptoribus premo ſemitam. Solenne illis, Illuſtrium Virorum per atria in animos eorundem intrare, vel auctoritatis vel beneuolentiæ conſectandæ causâ; quarum alterâ communiri ſe, alterâ ſuſtentari gaudent. Eadem & mihi mens, ijſdem itineribus, per impreſſa clientium veſtigia tendenti ad principem patrocinij ac tutelæ arcem. Expugnari illa ſe ſinet facilè, immò vt abſint machinæ, pacatis certè ſtudijs, eorumq́ue cultoribus vltrò pateſcet. Familiare enim eſt magnis mentibus, ac

Tibi

Tibi imprimis Literatissime Princeps, fouere literas, fauere literatis. Pergat, vt lubet, ad vmbratica suorum Elysia Dux Troianus columbarum ductu; mihi auspicium & omen est gentilitius Olor Tuus. Paci hæc & Musis amica ales, vtcunque infestas quieti volucres procul habet, non arcebit aditu bonas artes, fida Mæcenatis limina subeuntes. Suam hîc illæ Patriam nactæ, non solùm cōmodè, sed indulgenter etiam & prælautè habentur; plurimùm gauisæ, Humanissimi Fautoris, alloquio proficere, interque eruditæ voluptatis instrumenta censeri: redditurae pro hospitio immortalitatem, nisi eam aliunde, continuis in Rempub. promeritis, Tuo nomini parâsses, Assertor pacis publicæ, sub illud ciuici motûs turbidum, in castris & senaculis congeminatus, frequenti consessu

consensuq. Haec Tibi apud Regni Ordines aestimatio venerationi immista. Vt interim dissitarum gentium testimonia Tuis consona virtutibus, ne verbo attingam, neq; habeam necesse conuenire oracula Vrbis & orbis Principũ, quorum animis & iudicijs altiùs insedisti, quàm vt à me peruideri possit. quanquam Tu in eo potissimùm elabores, vt egregiè factis famam extendas, à Tua ipsius amplificatam persona, quò extraneis terrarum praeconijs quàm minimũ debeatur. Irem per singula Tuorum operum, nisi me Pontificiae moderationis Tuae interdicto vetares. Inferrem me in Sacro-ciuilem curiam, proferrem Tua Vir Experientissime consilia Senatorio meditata prouisu, suadendi vim, coniectandi solertiam, futura tangentem, praesentibus intentam. Mouerem
 deni-

deniq; rationum pondera ſuis trutinata momentis; quid, vel in præſens bono publico ſtatuendum ſalubriter, vel inpoſterum prouidenter caueretur. Iuſtâ itaque partitione & ſeuerioribus diſciplinis, altiora debes prudentiæ effata; debes & manſuetiori literaturæ, vt quæ peritè & ſapienter, in comitio mentis intimæ tecum ipſe concluſeris, ea in publicum, non modò dilucidè ac ſeparatè, ſed, & copiosè ornatèq; efferre poſſes, promptâ ſemper & in medio eloquentiâ. Teſtor æternos Manes Georgij Oſſolinij, ea de Te Curialiũ in partem curarum aſſumpto, ſolerter præſagientis, quæ poſtmodum, omni maior præſagitione felici reddidiſti euentu; vt quæ Tuo Tu de Łubienio diſertè luculenterq; prodidiſti, eadẽ ego, nullâ Łubienij iniuriâ Tibi imputẽ. An enim quidquam

quam paulò grauioris in commune negotij interueniſſe compertum eſt, cui expediendo, Tua præſenti comitata conſilio induſtria non adeſſet? *Non fœdera ſancita, non pactiones vicinis firmatæ, non reſcripta edita, non legati Regiis inſtructi mandatis, non de publicis rerum momentis ad Ordines relatum, niſi vel à Principe, vel iis, qui Regiæ Cancellariæ ſumma cum poteſtate præfuerint, Te prius appellato & conſulto.* Nondum Patribus conſcriptis adſcriptus, & iam omnes togatæ ſapientiæ numeros obîſſe, per ora Procerum ferebâre, ſecretioris mox Regiæ admouendus arcanis. Generis id nobilitati, & virtutibus Tuis acceptum fers, quòd illa Te nullius non capacem Honoris, iſtæ omnibus dignum dignitatibus feciſſent. Fortunatam enimuerò tàm vigili Præſide Cuſtodeque Diœceſeos Tuæ Prouinciam eiuſque Curio-

nes, quos Tuis legibus, Tuis moribus, ita fingis ita formas, acsi eis quandam probitatis necessitatem inieceris; vt non possint non esse optimi sub tantæ disciplina sanctimoniæ. *Nihil enim ad virtutem efficaciùs, virtute suadentis.*

Et ne solam periclitanti Patriæ consilij manum porrigeres, præiturus exemplo secuturis, iuisti pedestribus in hostem copijs, tuo ære sic instructis, vt non modò virorum delectu, sed, & annonæ commeatu, cum florentissimis quibusq; certare potuissent, eòque non pertimescere *sæuiorem quouis hoste famem*, quâ cæteri ante tubas & classica expugnantur persæpè. Appello superstitem MICHAELIS KORYBVTHI Regum Optimi memoriam, cuius desideria subindè prodita, eò gratiore quòd inexspectatâ largitione præuertisti, cùm ne rogari quidem susti-

nens

niens erogâsti, quantum ad leuandam tunc fatiscentis fisci tenuitatem, opportunum fore prospicienter autumares. Satis non erat robusto in patriam amori Tuo præsidiarias, peditum legiones, inermi eneruiq; tunc Reipubl. submisisse, nisi equestribus quoq; Tuorum alis, in suppetias eiusdem aduolâsses. Pulchra meritorum gradatione: à lectissimo peditatu (iterum iterumque nouis rebus suppeditato) centurias numerosi Equitatûs, inde ad Hastatæ cohortis validum agmen deuentum est; donec militiæ catafractæ robur, Pontificius belli neruus daret. Et apposité illi Hastatorum delectui, militaris vocabuli Virum *Martinum Cienski* impositum voluisti, vt vel sic saltem Tuum in cordatissimo Nepote sanguinem litares patriæ, cuius vtique salute antiquiùs haberes nihil. Au-
 ges

ges itaque regni auxilia modumque auxiliorum, & crescere publicam securitatem iubes dum promoues. Quod Pœno inter prospera belli vitium, hoc plerisq; inter fugitiuæ sortis munera opumq; affluentiam: ille nescit victoriâ vti, hi ærario, ridiculi monetariæ cultores Deæ, quibus cura potior, nummos conseruandi quàm ciues. *Sterile ærarium est, quod publicis domi militiæq; vsibus obseratur. Auri argentiq; congeriem, vilissimis etiam obtingere palàm est. Fortunæ ea sunt auctaria, non auctoramenta virtutis.*

Fuit, quùm Heroica Reipub. nauis, domestici turbinis vi, correpta delataq; in Scylleum, Tuam potissimùm imploraret opem. Nec frustra. Tam promptum Tibi erat accurrere quàm expeditum succurrere rebus fessis. Subducta à Te in siccum (diues malorum) regni

oneraria illiſa cautibus perfoſſaq́; per illam tempeſtatem ventis in diſpar conſpirantibus; verùm ad Tuæ ſidus purpuræ, *terris redeunte ſereno,* alia cœlo facies offulſit. Debueramus hanc optatæ tranquillitatis malaciam, non iam Alcyoni, ſed veriùs Tuo Aliti, pænè inter clypeos galeaſq́; ſtruenti nidum pacis. Sic proſperum nauigantibus & belligerantibus omen erat, Tuũ vidiſſe audiſſeq́; Cygnum! Dulce enimuerò ac lætum celeuſma! ſed heu! infeſtis lituorum ſonis ilicet obruendum. Et compoſuerat ſeſe in tantæ reuerentiam auctoritatis, iratus alioqui Mars, armiſq; circùm ſtrepentibus, ſilentium manu indicens, ad mitiora ſe traduci gauiſus eſt; niſi iterum exlex diſcordis Æoliæ ſeditio, decumanis fluctibus prætoriam verberâſſet Argo: ſorbendam, nî Tu gubernacu-

lo tunc adsistens, prehenso scitè clauo, tumida Argonautarum vela aliò minātia, aliò obliquâsses. Quod *Ambrosius Gratiano*, *Bonifacius Theodosio*, *Arcadio Chrysostomus*, hoc Tu extra inuidiam, non extra gloriam IOANNI CASIMIRO. Meritò itaq; alter tunc Patriæ parens, militari præconio per tentoria conclamatus es, læto ad ea Principe, nihilq; non tuis tribuente consilijs: quorum fructu, si diutiùs vti eidē, fatis obstantibus licuisset, profectò nubes illa ciuilis iræ spiraculo conflata, nunquam in cædes & sanguinem *ritu Pharsalico* redundauisset, tristi ac detestando ad minores exemplo.

Quid hîc autem ferali nuntio conuulneratas Tibi aures, & suffixum dolore pectus attrectem? ob factum iuris hostici Camenecum? arcem illam orbis Christiani munimētum inexpugnabi-

le, perarduâ naturæ molitione admirandum! Quod, ne citiùs furori Saracenico cederet, obstinatæ Tuorum debebatur fortitudini, irremissâ pilarum emissione, assultantibus Thraciæ emissariis noctes diesq; obnitenti, ne, illis adhuc stantibus caderet Troia illa, tot: retro seculis hostilitati inaccessa! Ergo deditam perditamquè vrbem, secuta è vestigio sacrorum clades: *aræ euersæ, pulsi delubris administri, signa Cælitum deturbata, proculcata: Deo Diuisq; dicatæ ædes, spurcissimis Mahumeti inquinatæ fanis! Demùm abditis Vestaliũ penetralibus infusa barbarorum colluuies, nihil sanctum, nil pudicum liquit, per adyta templorum (prô scelus) stabulantibus latè equis!* Hinc insomnes Tibi mærore noctes conglobata fecêre infortunia! Hinc singultientis animæ testes lacrymæ, hinc gemitus & suspiria per intimos cortinæ sinus eluctata! Ni-

mirum *læsi Numinis contumelia, omni telo violentior, altiùs inſederat præcordiis, quàm vt extrahi quantâlibet arte poſſet.* Nonniſi Romanæ medela purpuræ cordi ſaucio adhibenda fuerat: Eminentiſſimi videlicet Cardinalis Franciſci Barberini literæ, humaniſſimæ ſuauitatis delibutæ ſucco. Placet familiaria hæc reciprocæ voluntatis miſſilia fidelem auctoris in paginã transſcripta, conſequẽtis æui memoriæ commendari. *Illuſtriſsime ac Reuerendiſsime Domine. Quòd Dominationis Veſtræ Illuſtriſſimæ, poſt triginta annorum ac ſupra decurſum memor ſim, id vellem meæ nequaquam humanitati, ſed ſuis ipſius attribueret meritis: hoc mihi tamen laudis indulgendo, quòd illa cognouerim, adamârim. De rebus autem Polonicis, nihil mirum eſt, me eſſe ſolicitum: ea enim eſt iſtius regni conditio, vt vix, (ſi humana tantùm reſpicimus) ipſo, quod Deus auertat, ſubuerſo, Chriſtiana Reſpub. ſtare poſſet.*

Sed meliora auguremur, & quæ Polonorum debita erga patriam pietas, & bellica nationis virtus, periculis cunctis maior, feliciora pollicentur. Habet Dominatio Vestra Jllustrissima quid optem, quid sperem, & quid etiam à Deo perpetuis precibus contendam. Sed hoc insuper velim credat, me talia sæpissimè agitantē, nunquam animo cecidisse, præsertim cùm sciam, quàm munita sit Polonia Sapientibus viris, inter quos maximè emicuit & emicat Dominatio Vestra Illustrissima, cuius semper suspexi summam & religionem, cum generosissima claritate & perpetua coniunctam: quarum argumenta clarissima, & imitatione digna dedit, tam in administratione sui Episcopatûs, quàm in procuranda Reipublicæ & regni incolumitate. Interim vt me Dominatio Vestra Illustrissima amare pergat, & suis præterea mandatis volentem exerceat, iterum atq; iterū peto.

Hoc sanctioris Atticæ temperamento, Barberinæ Apes amico vulneri officio: sè medicantur.

Nusquam tamen luculentiùs enituit, extulitq; sese altiùs Tua indoles, quàm in campestri illo Sarmaticæ libertatis theatro; quum erepto fatis Primate regni, primus in oculos & ora Procerum incurristi, pleno suffragantium assensu, dignus qui curâ principe, grauissimo Electionis Regiæ negotio adesses, & præesses, par tanto futurus muneri oneriq; : vt qui longo Curiæ magisterio, publicis exercitam functionibus ætatem exegeris. Obruisset nonneminem hæc Tuo incumbens capiti rerum moles, nisi præualidis veteranæ experientiæ humeris insedisset. Habe igitur, quod Tibi peculiare ac proprium, res & fama indidit POLONICI ATLANTIS prænomen, vel eo officii titulo, quòd Reipub. studiis curisq; in te vnicè inclinatis, vnus omnibus integrè strenuèq; suffecisses.

ses. Vniusne ingenio hominis prehē-di confieriq; potuisse rear, hæc tam va-ria tam dissita? Deliberantium cætibus assidere, moderari suffragiis, adire & adi-ri, visentibus occursare. Adde momē-ta legationū suis libranda ponderibus, & quà perspicacis prudentiæ, quà prom-ptæ comptæq; eloquentiæ sustinenda adminiculis. Quanquam Tu non ita raro videras audierasquè Principum O-ratores, vt non, eorum vota & opinio-nem celeritate expeditionum facilè su-perares, calami & Suadæ acie procinctà semper. nequè alias profusiore opum impēdio, quàm vbi decus Poloni: nomi-nis, aut tuendum aut propagandū foret, magnifico in publicum paratu.

Regnorum & Regum arbitra, æter-na mens, eam patricijs Electoribus mē-tem indidit, vt qualem ipsi destinarent

animis, votis conciperent, talem diuinitus indigitatum legerent IOANNEM III, inexpugnabilis abhinc Poloniæ Tutelare SCVTVM: quodq; Tibi ad famæ ſolennia celeberrimũ Tuis ritè auſpiciis Tuâ Pro-Primatis voce renũtiatũ, fàuſta lætaq; omnia cõclamãtibus vniuerſis. Vt nec mihi integrũ fuiſſet, entheũ cohibere impetũ, quin cõpendio bellanti vincentiq; Principi acclamâſſem:

Prælia momentis conſtare negauerit ille,
Qui Thracum ter dena, duas proſtrata per horas
Millia, finitimi propter iuga celſa Chocimi
Et Dacicum rubuiſſe Tyram de cæde Gelonûm
Hactenus ignorat. Pariat Cunctatio laurum
Torpenti Fabio, Romanum robur in arcto
Victriceſq; Aquilas velut obſidione tenenti,
Haud dubios campi dominâ ſpondente triumphos.
Tuta timens, rarò poſuit vel ſerò trophæum.
Ex celeri præcerpta placet Tibi Laurea Princeps
Dedignate moras, Caſuq; faceſſere iuſſo,
Bella geri virtute docens, animiſq; manuque
Non numero: numerum ſupplet vis prodiga vitæ,
Et tumulo ſperatus honos, & fama ſuperſtes.
Sed hæc aliàs maiore præconio.

Quid

Quid, quòd *Ædem Opis* extra veterum commenta apud Te inueniant, non modò Religiosæ familiæ, sed omnes omnino calamitosorum cætus, repulsæ nescii, in tanta Tuarum facilitate admissionũ! *Auditi quicunq; rogant*; tametsi Tu vota rogitãtiũ præcurrens, vltrò occurras anticipatis egentiũ querimonijs: quò dantis hilaritatem committas cum celeritate largientis. Parum erat explicatæ menti, exporrectæ dexteræ, in commune liberalem esse, nisi tenues quoq; priuatorum lares, exploratrice misericordiâ percursares, & nec orantibus opem ferres. Norûnt quid dicam, deserti à fortuna, sed à Te commodùm eidẽ restituti. Assertioni lucẽ non affero, tenebris & silentio commissa à Te, præmissaq; æternitati non euulgo. *Arduum sanè artificii genus est, nôsse & posse celare beneficium!*

Quin

Quin & minimam IESV Coloniam Apoſtolica Principis Petri limina incolentem Cracouiæ, a Tua excluſam beneficentia noluiſti; quum diuinæ præſidẽ Sapientiæ Theologiam, eiuſdemque alumnos, anguſtè hactenus incolentes, ampliſſimo dignatus es domicilio. Prodigii ſimile dixerim, vt omni celeriùs opinione, laxatis properè ſpatijs, magnificè operoſa moles ad culmen deducta ſit, & coronidem gratiarum: niſi quòd Tu & gratias a Clientibus haud repoſcas, quibus ad remunerãdum nihil ſuppetit, præter grati memoriſque animi voluntatem. Felix qui ad Tuæ arcam fortunæ, Clauicularium cæli admiſeris, lucro id appoſiturus, quidquid in ſolidam Petri fidem expoſuiſſes. Si quid ex Te, illius gazophylacio accedet, non decedet Tuo. Quod his Petræ foramini-

bus committitur tutum crede. Lacum hîc ille Piſcator ſuæ immò noſtræ felicitatis reperit Genezaretico ditiorem, in quo haud vnum expiſcatus ſtaterem, *non iam retia, ſed mœnia ducit in altum!* Olim Taborino in monte terna triumuiris receptacula ſtructurus, intempeſtiuæ molitionis curas, vſque huc diſtulit, trãſtulitque in Te; vt felici rerum conuerſione, architectanti munificentiæ Tuæ, nobile faceſſens negotium, fabrilem dolabram, cæmentaria commutaret trullâ. Fatis hoc & Lancicianæ præſenſionis oraculo debebatur, vt de Tuo poneres *Domum Cephæ* eiuſque domeſticis, æternaturam, quia perennioris Capitolij firmiſſimo ſuperſtructam ſaxo. Quotquot iſtarum inquilinos ædium numeraueris, totidem viuos ſpiranteſq; doctarum mentium obeliſcos Tuo Ho-

nori aſſurgentes, ac locuturos etiā Tua decora, ne vocem à Memnone mutuē-tur. Porrò dati à Te acceptique rationes ad calculum non exigis, clientelaris debiti cenſu ad Te ſæpiùs redituro.

Quantùm nunc Theologicæ facultati ſplendoris à loci amplitudine accedat neceſſe eſt? dum obſcuris eluctata angu-ſtijs, patentiore cœlo & ſole fruitur, liberaliùs admiſſum intrò diem, ſibi ſuiſque competitoribus gratulata. En vt vultu & cultu lætior, Deo diuiniſque propiùs inhæret, quò remotiùs à tumultuantiū ſtrepitu abductam ſe gaudet, iucundo è rebus humanis exceſſu, hoc in receſſu potitura. Et quidni voti compos tri-pudiet? poſtquám ſuas hîc delicias intra diuinioris Athenæi adyta reperiens, o-mnia vſu commoda, viſu amæna, ſitu opportuna, & quà conclauibus diſtincta,

quà oratorijs ſeparata, promptuarijs inſtructa, omnia denique cumulatæ neceſſitatis modo finita miratur, indulgentiſſimi Principis genio, cum ingenijs artificum certante vincenteque.

Iam verò hæc atria, notis emblematum, & ſymbolicis reconditæ eruditionis inſignienda argutijs, hæ porticus, hæc ambulacra arcuato longe tractu prolatanda, quid niſi celebritatem & frequentiam plauſumq; diſputatrici Theologiæ pollicentur? Quanto nunc & ipſe gaudio circumfluis ô Præſul, Tuæ ſuperſtes, dicamne æternitati; quam in eximio opere exſtare voluiſti. Nihil in eam tēpori, nihil cæli iniurijs licebit. Perennabit inexpugnabile ætate ſaxum Romanâ aſſonante lyra.

Aſſurge moles numine proſpero Guiniſius è Soc. IESV.
Æquans Olympum, ſed Domino minor;

 Quantum-

Quantumlibet crescas, Patroni
Nunquam animum meritumq́; vinces.

Quod ad loci indigetem attinet, Tua is ornamenta in suis numerat. Cæptis á Te, iamq́; vt plurimùm profligatis fauet fauebitq́;, donec illustre opificium summo fastigio, & Tua pariter corones vota. Ne dubita, *Filio Columbæ*, rectè cum Tuo cõuenire Cygno; qui Tua verecundus

Munera si taceat, vocalia saxa loquentur.

Quoties igitur sera ætas, Sigismundianæ maiestatem Basilicæ nôsse gestiet spectareq́;, toties illa memoriæ hominum sine Te non recurret. Regiæ & Tuæ pietati vectigales effecti, *Sigismundo III.* prægrande delubrum, Tibi, conterminа commissaque delubro claustra, an castra DEI debemus. Castra inquam, Angelici Doctoris ductorisque

nutum

nutum liberè ſecuta, & inacceſſâ caligine tuentem ſeſe Deum, Aquinatici pectoris eductura in Solem.

Argumentum lucubrationis, Tuæ Celſitudini acceptum fore non ambigo: Reges, Principes, Antiſtites, cæteroſq; magnorum capitum vertices complectitur.

Habes hîc Vladislaum IV. nec non *Joannem Caſimirum*, germani ſanguinis auguſtum par; quorum alterius prælalto de Te iudicio, alterius beneficio inſuper auctus, ſignatoriam regni gemmã, Pontificiâ Cracij Flaminis exornâſti mitrâ; prono ſemper in Principem obſequio, fideq; etiã aduerſantis fortunæ ad lydium exploratâ. Teſtis baſilica illa Caſimiriani Sacelli moles, Te operi inſtante vrgenteque ad ſummum de-

ducta, & illud Diuis Regum Manibus insessum vndique Mausoleum, quid animi Tibi in Principes regno functos & vitâ. Ita dum supremo Regiæ voluntatis obsecundas placito, simul parentali in Casimirum pietati indulges Tuæ, simul æterno Sarmatiæ dolori arã ponis. Permitte ô Præsul, vt illam posthumi Honoris memorem cælaturam, marmor alibi à Te positum, hîc pagina à Te pariter animata loquatur orbi:

D. O. M.

JOANNES CASIMIRVS *Sigismundi III è Constantia Austriaca Filius Poloniæ Sueciæq; Rex.*

Quantùm in res humanas fortuna, quantùm infor-

tunam poßit virtus, Vnus suo plurimùm exemplo docuit. In ipso Regni aditu, prægrandem subiit immanium bellorum molem: hâc simul ac diademate coronatus, Cosacorum primò rebellium, ac Scytharum; tum Moschorum, Suecorum, ac Principis Trãsyluaniæ, ingentibus vndiq; vno impetu bellis occupatus. Regno pænè amisso Rex ac victor, magnitudine animi & constantiâ inuictus, victis domitisq; hostibus, de ipsa inprimis fortuna triumphauit.

Deniq; quod proscriptâ Hæresi Arrianâ, quod Clementiâ insuperabili in hostes, aliisq; maximis, Principis Christiani promeritis pacisci voluit, stabile olim aditurus Regnum, terreno sponte cessit 1668. in Comitiis. Ac demùm Anno 1672. 17 Decembris, ætatis suæ 63, vitâ mortali decessit Niuersi in Gallia. Vnde eius Cineres ANDREAS TRZEBICKI, *vrbis huius Episcopus, in hoc Regium Sacellum transferri curauit & condidit. Regi & Domino suo optimè*

merito, mæstissima Polonia posuit.

Sic à fatali postliminio, Te auctore Te duce redux in patriam Parens patriæ, restituitur Regno Princeps, Regali busto ingens depositum, Mausoleo à se condito habitator, Paternis Fraternisq́ue Cineribus cinis additus, redditusque orbatæ Ludouicæ Consors: Te nimirum intercedente vetanteque, ne triste fatorum diuortium sentiret vel in vrna. Nec mirum, obstinatissimo luctu parentâsse Te CASIMIRO, quē constantissimo cultum à Te officio meminisses, oculis atq; animo circumlatum Tuo. Itaq; velut in domestico funere doles intimè, altiùsq; expendis dolendi causas; in tantum, vt exhauriendo dolori Tuo, nec primæ omnium Ordinum sufficiant lacrymæ nec secundæ!

Tuus

Tuus tot nominibus Casimirus, Regi primùm Serenissimo IOANNI III. Sarmatiæ bono, recèns Coronato Marti, debet splendidissimæ humationis pompam, cui de sua etiam affudit Serenitatē, humanissimo comitatu sui Præcessoris Regalem prosecutus Vmbram. Debet iuxta & Tibi redintegratæ complorationis ferale classicum, densata agmina, cætus pullatos, incompta signa, inuersa ad mærorem arma, plateas & compita mæsto cantu & lituis personantia. Debet tot centurias ritu lugubri operantium ad aras, piisqué Manibus, benè comprecantium Sacerdotum; totq; præterea Infulatorum apices & crebra lumina Senatûs vtriusque, ipsum quin etiam iusta inter exequialia cereis & funalibus auctum diem! Omnino me-

morabilem orbi fecisti metaphoram, dum illum extrarii tumuli, triennem inquilinum, hospitali è Gallia, natalem in Poloniam transtulisti; adeòque Niuersum: Cracouiâ, Ligerim Vistulâ, tumbam denique temporariã, æterno domi permutâsti conditorio: quòdque coronamentum rei est, Supremis CASIMIRI, Vocē impendisti Cygneam! Non ætate, non valetudine tenuissimâ, non hyberni austeritate algoris prohibitus, quin Te sub aspectum dares, in quo cæterorum erga Principes beneuolentia metiri sese, & probare pietas possit, in principe illo Metropoleos Regni delubro, Diuûm trophæis, Regumque exuuiis longè inclyto. Par enim debebatur auditorium purpurato Encomiastæ, vno in funere, geminis Regibus,

vectigalem persoluente Suadam; illâ ipsâ facundi amoris affluentiâ, spiritum & vocem animante, nisi quòd *doloris eloquentia sit, ægrè loqui.*

Hîc demùm voti compos acquieuisse aliquantulùm visus es, cùm augustus ille exul, auito Suorum & suo illatus est monumento, cui aliquis inscribat Vates:

Hoc Iageloniacæ propaginis Vltimus Heres,
Marmorei posuit grande laboris opus.
Tot Regum Cineres, tot Pignora cara Tuorum
Colligis augustâ Rex CASIMIRE domo!
Haud erit vna satis, tot Maiestatibus Ædes,
Pro quibus angustus, quà patet Orbis erat.

Tradet igitur posteris, impressam à Te omnium animis, Typisque expressam CASIMIRI memoriam testis pagina, Tui Nostrique Principis FVNEBRI LAVDATIONE cōsignata. Ora vul-

tusque Heroũ, penicillo Timãthis, aut cælo Polycleti, at victuræ mentis effigies, ſtylo Tullij, aut plectro Maronis exarantur. Hoc Orientis domitor Alexander, hoc Cæſar, hoc veterum Regum nobiliſſimi ſenſêre; *nec aliam ſperauerunt triumphis ſuis ſortem, quàm, quæ ex eruditorum ſcriptione contigiſſet.*

Adſunt Nicolaus Prazmouius Archi-Præſul, Tui quondã ſtudioſiſſimus, vel eo humanitatis genere, quòd Te auſpicatò inaugurante, maioribus aris admotus, caput ſublimi tiarâ, manum ſacro ſcipione impleuerit, poſtquam omnes prætoriani laboris numeros explêſſet. Adeſt (quem coronati in Filio honoris causâ nomino) Ieremias Korybuth Wiſniowiecius, Dux in Wiſniowiec & Łubnie, terrarum Ruſſiæ

Pala-

Palatinus, vir gestorum gloriâ incomparabilis. Augent lucem infulata Siradiæ Tuæ lumina, Mathias & Stanislaus Pstrokonii, Tuus in tanta parentela sanguis. Porauiana hæc Rosarum germina *Buzenii incrementa satûs*, congenito Adalberti Mart. cruore interfusa, pretium operæ & gratiam (quam Auctor non conciliat) adspirabunt; eandem & Tibi referent, quòd Te annuente, prælo pressa, fragrantissimum orbi inhalent odorem. An ego & Casimirum Czartoryscium, quà Archipræsuleâ quà Ducali insignem mitrâ, Tibi & voluntatum & studiorum Romano nexu coniunctissimum à Te disiungerem? contubernio familiarem, honore Collegam. Equidem mihi abundè suffecerit ad votum, quòd Tuis po-

tissimùm impendijs, ad compendia tantorum nominum his inscripta folijs, prælargè vti volueris. Vale Vir Sapientissime, norma Præsulum, Cleri decus, Patriæ fulcrum, egentium leuamen. Vale inquam, & Nestoream serò, quam mereris ætatem imple: quò diuturnâ Tui incolumitate, sua Reipubl. quàm diutissimè salus constet.

Celsitati Vestræ Illustrissimæ ac Reuerendissimæ

Deuinctissimus

Cultor & Seruus

Andreas Kanon è Soc: IESV.

ORATIO

In Solenni Studiorum instauratione, more institutoq; Societatis IESV, dicta Sendomiriæ, in Aula publica.

Anno 1647. Kalendis Septembr.

Auspicatò Patrocinante

ILLVSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DOMINO

D. CASIMIRO CZARTORISCIO

Canonico primùm Cracouien. mox Posnanien. Vladislauien. Epõ. tùm Regni Primate Primoq; Principe.

Recognita Auctaq; Anno 1675.



In Gentilitium schema Ducum CZARTORISCIORVM.

Quò, rapido properas Eques effusissime cursu?
Quò cataphracta ruit dextra, mucrone minax?
O benè: Thracas habent elato Fata sub ictu,
His, celer vt gladium porrigat, vrget Equum.



ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRINCEPS.

HVmanitatis Tuæ Per excubias, ad generis & Sapientiæ Principalis euado patrocinium. Nondum enim ſic me protexi calamo, vt non egerem, contra temporum (ſi non hominum) iniurias, munimento. Gentilitij Equitis Tui iſta eſt felicitas & Virtus, vt armatus, rerum vices vel proterat obuias, vel poſt ſe relinquat ſequaces. At pedeſtri, quæ mea eſt, Oratione, celeritatem obliuionis non effugiam, etſi iiſdem itineribus contendero quibus ille. Expeditior ad palmam curſus Cataphracto illi, quàm mihi ad metam Oratoris; acriorq́; eſt gladiorum vis, quàm verborum. Nemo ſtrictæ dictionis vibrantem ſic poliuit aciem, vt ſuam ei nigræ animæ fuliginem non allinerent. Mihi verò & illud periculo, quòd Secula inter ſe de laude Eruditionis commiſerim; cùm tamen Ætatum quoq́;, odioſa non poſſit non eſſe comparatio: quantò magis ſi vnam alteri præferri contingat. Sed me hoc metu abſoluit, maiorum gentium innutrita ingenijs, Tua Princeps Literatiſsime eruditio, quam hoc Orationis velut in campo, iudicem eruditi certaminis accerſiui. Non accerſerem autem? qui raro Principum exemplo, Sacram Ciuilemq́; eruditionem, Regio natalium Sanguini miſcuiſti. Quæ tam abſtruſa vetuſtatis religio, aut Ægyptiorum ſubtilitas, in quam non animo penetraueris? Quod Ethicorum dogma prodijt, à Te diutiùs ignoratum? Ecquis auctor ab ingenij & argumenti præſtantia inſignis percrebuit, à Te non cupidè arreptus, non ſtudioſiſsimè euolutus? Hinc tanta Tibi cum Auguſtino, Chryſologo, cæteriſq́;, familiaritas, tanta cum Theologis conſuetudo, quantam deinceps in circulis & exedris obſtupuimus piè ſapienterq́; diſſerentẽ! eo animorum motu, qui feliciùs ex vita & moribus Oratorum

 duci-

ducitur. Prima hæc bonorum Principum laus est: aut pro Deo agere, aut de Deo. An vllum est Cracouiæ delubrum, quod Tui luce nominis, quod famâ sanctioris facundiæ non impleueris? vlla Philosophantium controuersia? quibus acerrimus non intercesseris disputator? Nec erat quisquam illo litigantium in agmine, qui ad tam perspicacis intelligentiæ caligaret Solem, vel ipsius lucernam Cleanthis haud dubiè inumbraturum. Habemus philosophantes (supra quàm optaret Plato) Principes: vt non in pallio tantùm squaleat, sed in paludamento etiam effulgeat Sapientia. Credentnè posteri, ab exteris reducem, (vnde permulti hederam aut myrtum extulêre) Te lauream paternæ domui intulisse? ne à victore gentium populo non laureatus redîsses. Ducali Mitræ Theologicam adiecisti, quarum illa Te Principem, hæc doctum ostenderet: ideòq; illarum alteri, magni Sanguinis, alteri magnæ Mentis deberes testimonium. Fruere his gloriæ insignibus à Te partis, eòq; carioribus, quò remotiùs à fortunæ arbitrio disiuncta, totum ex Tua habent industria, nihil ex casu. Leuis eorum apud te æstimatio, quæ citra magnas ingenij impensas facillimè parantur, vel obueniunt suâ sponte. Idcircò nec Scholasticam à Te Laurum ex facili decerptam voluisti; cùm re & factis probares Italiæ: præaltam Polonorum indolem altissimis quoq; facultatibus parem esse; neq; exponendum quidquam, in Romanæ emporio Sapientiæ, tàm carum, tam excellens, quod aureæ Libertatis homines non celerrimè licitentur. Sed præfari hîc pressè, erat animus, non diffusiùs Te affari. Alterius id negotium loci fuerit, ac temporis.

Interim Te Æternitati deuoueo, quam Tibi Sacri Doctoris Annulo, Princeps Theologus iampridem despondisti.



ORATIO

Non ferendum Polono Equiti, Erudito Seculo rudem eſſe.



Sextilium feriarum ludis, literarium redeuntibus ad ludum, moris annui proluſione occurro Auditores, genere, & humanitate præcellẽtes. Et occurro quidem ſalutanti ſimilior quàm hortanti. Neque enim hîc Sapientiæ aut Muſarum deſertoribus itur obuiam, qui ſe ad Mineruæ tribunal, non duci, ſed trahi, non pellici, ſed impelli patiantur. Nuſquam liberiùs artes liberæ, quàm apud gentem Liberam frequentantur, nec liberaliùs habentur extra Poloniam, quæ liberalibus innutrita ingenijs, cùm nihil infra ſeruiles animas ducat vilius, mortem ſeruituti præeligit. Omnes hîc Theopompos, neminem Ephorum inueniat Iſocrates, qui ſe calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis vti ſolere dictitabat. De veſtro lectiſſimi ſcientiarum Competitores, nobili ambitu, ſcio quid ſentiam, quid ſtatuam, nihil concludo. Actum agerem, ſi flagrantiſſimo flammam pectori, faces animo, alas alacritati, ſtimulos currentibus adderem, animatiſſimos animarem. Siſtendi mihi propemodùm, non vrgendi videmini. Quæ enim vndequaq; commeantium tam cupida concurſatio? quæ maturantis æui præmatura indoles, & ſe iam ſentiens mentis robur? qui ardor in oculis? quæ in vultu feſtiuitas? quod in ore tripudium? Conuolâſtis velut ad Imperatoriæ ſonum buccinæ, recèns auctorati, ſat meriti, necdum emeriti ex integro Veterani. Auguſti nominis menſis ille oſtentauerat vos duntaxat, non donârat paternis laribus; repetundarum etiam accerſiturus, ni ad Septembrium primordia Kalendarum opportunè redîſſetis. O ſtipendiarias pacatæ militiæ legiones, ad perexigui v-

sum temporis manumissas! O feriantis adolescentiæ breues nimiùm inducias! Recesseratis ad æstiua hybernis Campaniæ faustiora, vt acriùs contra ignorantiam calamos stringeretis, quò, (Tragœdi ex mente:) post multa virtus opera, laxaretur tantisper, seq; ipsâ remissione intenderet. Dedistis aliquid genio, ne quid postmodùm negaretis ingenio. Redit videlicet si Papinio credimᵘ, *Maior post Otia Virtᵘ*, ipsâq; cessatione incitatior. Et erat Vestrûm haud nemo, quē mirificè iuuaret, cum Lælio aut Scipione rusticari: dum rus ex vrbe tanquam ex vinculis euolauissent, atq; Conchylia ad Caietam & Lucrinum legere consuêssent. * *Vt quemadmodū volucres ab operosa molitione fingendi struendique nidos, vbi aliquid effecerint, passim ac liberè spatiantur*; ita curarum & palæstræ pertæsi cætus volitare prægestiunt; iamque venari cum Domitiano, piscari cum Nerone, Pharū è cōchis struere cūCaligulâ, prādere inter arbores cum Traiano, & modò colles obequitare cum Carolo V. modò partiri areolas in horto, & inuitatu Diocletiani, culturæ arborum manus Palladio assuetas operi commodare. Namq; Tullio *Liber haud videtur, qui non aliquando nihil agit*. Quanquam ego facilè crediderim, Vos tempestiuæ hactenus Quieti sic litâsse, vt suam quoque Labori victimam reseruatam esse volueritis: tantum pilæ & curriculo indulsisse, vt cùm maximè vacâssetis, tamen nec in otio otiosi fueritis. Vsque adeò vobis vel extra vrbem vrbanitas, vel inter delicias hortenses Hortensius, vel inter aratorum rastra, Oratorum rostra subinde recurrebant. Quid igitur? Commendem humanioris literaturæ suauitatem? cui iam pridem citra fastidium insueuistis. Cohorter ad studium? pulcherrimâ sciendi cupidine arrectos. Quin potiùs, (quando omnia attentionem & silentiū pollicentur) ad vestræ auctoritatis Comitia memet recipiam, differamque: *Haud ferendum Polono Equiti, Erudito Seculo Rudem esse*. Illud in primis ab hodierno Studiorum Æedituo, Diuo Ægidio, precatus vnicè, vt mihi pro Erudito Seculo, apud eruditas

* *Lib. 2. de Oratore.*

ditas aures dicere incipienti, digna officio quod ſuſtineo, digna expectatione Auditorum, ad finem vſq; eueniat peroratio.

Quantùm mihi negotij vltrò impoſuerim, vos intelligitis, ego ſentio Auditores. Principio enim, Eruditum eſſe hâc tempeſtate Seculum, tacitè profeſſus ſum, quo quid præſentius ad inuidiam antiquitatis? Telum in me torquendum priſcis porrexi ſeculis, totam ſibi eruditionis gloriam vendicantibus; vno hoc titulo, omnium ætatum linguis & acuminibus configendus, quòd immiſsâ velut falce, in alienæ poſſeſſionis facultates inuolauerim. Attollet intermortuis è cineribus caput Græcia, & ſeptena Sapientum ora laxabit, veteri potentior præiudicio. Ille quondam dux & pater Sapientiæ Socrates, quaſi pro violatis Maiorum ſepulchris, motas in me legiones centuriabit. Xenocrates Academiam, Ariſtoteles Peripateum, in alas & cornua explicabunt. Educet agmen geminum Antiſthenes, hinc Cynicos, inde Stoicos, ipsâ duratos patientiâ, & acerrimâ tolerandi obſtinatione inuictos. Tametſi illos ego minùs verear, quòd cùm omnes affectionum fibras ex homine ſuſtulerint, iraſci & ſuccenſere non poſſint. Illam reformido aciem, in quâ, Duce Demoſthene, Lyſiam, Iſocratem, Æſchynem, Themiſtoclem, iurata Suadæ & Marti pectora, pro eloquentis famâ ſeculi eminùs & cominùs pugnare video, iamq; detonare eloquio, micare ſententijs, perorationibus fulminare, & multiplicis allegoriæ eleganti diſcrimine, nunc deuolui more fluminis, nunc more fulminis obuia quæq; celerrimè afflare, findere, fundere, exſtirpare. Taceo non tacenda belli robora, arbitroſq; Lycurgos & Solones. Prætereo Pythagoram, Democritum, Anaxagoram, qui etſi à maioribus eruditum non accepiſſent ſeculum, ipſi feciſſent. Nam quis ad triariam illâ vim non penitùs cohorreſcat? Platonem aio, non ore vaſtiorem, quàm ingenio, Xenophontem, vulgò Muſam Atticam nuncupatum, Zenonem cæſim & punctim ferientem. Adde his ingentem Theophraſtum ſuæ

concolorem nomenclationi, supra duo millia discipulorum numerātē. Quid illæ cohortes auxiliariæ, Erethricorum, Pyrrhoneorum, ? quid reliqua gregariorum præsidia, nonnè pro erudita suorum temporum canicie arma conclamant ?

Vnum genus aduersariorū est imbelle, voluptuariū, luxu & ganeis emollitum, qui se Cyrænaicos appellant sapientes. Miseret me tui Aristippe, qui huic familiæ daturus nomen, admiseris in te voluptatis patrocinium; cùmq; cæteri de frugalitate & parsimoniâ, de appetitionibus tenendis, de Recti Honestique finibus decernerēt, tu plumâ Sardanapali mollior, remissiore supercilio, gestu languido, voce præfractâ, fluentibus buccis, posthabitâ seueritati suauitate disceptabas. Sanè Atticum mellitæ voluptatis condidisti seculum, hoc melior Epicuro, quòd is de corpore, tu de animo disserueris oblectando. sortitus deteriorem præceptore sectam, velut hausto Circes poculo repentè in pecudes degenerantem; excitis riualium gregibus, qui ad omnes cum Tiberio Vitellioq; voluptates adhinniant. Atqui nihil tam ei propositum esse oportuit, quàm ne quid nimis, ne quid cupidè, nequid licenter in Lyceo diceret doceretq;. Quo me autem oris habitu, illa gentium terrarumq; Dea, *cui par est nihil, & nihil secundum*, Roma vetus audiat? quàm auersis vsurpabit auribus, prisci ingenia seculi committentem pugnaciter ? De se narrari fabulam, se signari oculis, componiq; cum æmula armorum & gloriæ Græciâ arbitrabitur. rata vel inde aliquid suo nomini decessurum, quòd dicendi ordine, Atheniensium noctuam, anseri Capitolino antetulerim. Quantò oculatiùs hîc eundum est Oratori, ne in Senatûs populiq; Romani fasces & secures incurrat: ne, quæ olim arma pro templis & foro disposita, dicturum pro Milone Tullium terruêre, eadem mihi metum incutiant, silentium indicant, iubeantque cedere linguam laureæ, togam armis. Nolim itaque Romano stylo Romam pungere, pro quâ Centumuiri illi faciant, Fabricij, Catones, Lælij, Antonij, Scæuolæ, Sul-

læ, Sulpitij, Quintiliani, Cicerones, & vnus instar omnium Cæsar Iulius, qui cùm inuidisset palmam Oratoribus & Historicis, illicò strinxit calamum, nec tam belli Gallici, quàm suæ immortalitatis conscripsit Commentarios; vt qui triumphis Patriam illustrâsset, etiam heroicâ eruditione de posterorum seculis mereretur. Minùs quidem ego fumantem Nasonis nasum, bilem Persij, Satyram Iuuenalis, furorem Annæi, impetum Lucani, arma Statij, irritabile vatum genus, eorumq; iacula, diras, & iambos pertimescã, quàm Corneliam Gracchorum Matrem, Senatoriæ feminam dignitatis, quæ professa Romæ Rhetoricam, vt è muliebri contentione valet plurimùm, pro erudito Romanorum seculo declamabit impotentiùs, productura in medium filios, quos ad inuidiam virorũ, patritia mulier publicè erudisset. Quamobrem non exspolio togatam Imperij Maiestatem, non elicio è bustis & ruderibus literatos manes, neque exsuscito ætates erudito in puluere sopitas; relinquo Græcis pallium, Togam Romanis, & inuolutum togâ pallioq; seculum non euoluo; temperare tamen animo haud possum, quin tam verè quàm liberè pronuntiem: Accepistis eruditum Poloni Seculum, vel certè solitò cultius reddidistis. Sed ne antè, pactionis fidem à vobis exigam, quàm in secreto cogitationum Oratori subscribatis; Agite quid habet, si se totam excutiat antiquitas, tam eximium, tam singulare, tam diuinum, quod limatissimæ æui huius anteponat Spartæ? Fuerit illis, vt erat, omnis copia literarum, fuerit recondita eruditio, experientia, legum tabulæ, felix bonarum artium cõmeatus, & illa modum prætergressa, opificia; quid causæ erit, quo minùs horum paria, ne dicam grandiora luculentissimè commonstrem?

Militiã credo Veterũ, & illã belligerandi solertiam, Pyrrho & Agamemnoni vsitatam obijcient. At ego illã ad hodierna militaris peritiæ rudimenta vix admiserim. Plus vltra, plus & citra bellicæ metas gloriæ, Cãpestres Animæ pro-

mouistis, quando singulari Martis genere Numantinam virtutem in exemplū Poloniæ redhibuistis. Tua sunt quæ memoro, bono Patriæ Inaugurate, Vladislae Rex Inuictissime, cui ex vsu erat, consilio & arte hostem sternere, & quod optabat quispiam, sine sanguine triumphare. Enimuerò docuisti propalam: plùs esse in prouidâ celeritate momenti, quàm in tergiuersatione Cunctatoris. Cedit arboreus ille cortex, pugnacis Premislai, gladio & ingenio Vladislai, qui cùm exteras, idem hospes, idem arbiter, lustraret vrbes, arces & propugnacula, vallum, fossas, armamentaria ritu Belgico educta, circumspiceret, inuenit Regum Scientissimus, quod inuentis adderet de suo, totq; Heroum arbitria, suo vniùs permodestè corrigeret, incredibili Tribunorū plausu. Nec dubitauit Virtutis tantæ admirator Spinola, à Bredana expugnatione orbi cognitus, victorem exercitum oculis Magni Hospitis & pedibus admouere, fascesq; submittere triumphales, triumphalia mox acturo. Adeó vile est quicquid in summo patet; rimari in abdita bellorum, hoc demum Austriacum est, hoc Iagellonium, hoc Regium, hoc Polonum.

Habet armorum gloriæq; Comparem Vladislaus IV. IOANNEM III. Primum veriùs, quia pugnandi vincendiq; artibus nulli Secundum, immò actis retro ætatibus vix auditum! *Bella momentis constare scitum est:* momentis eadem confici profligariq; posse, illo primùm Auctore Actoreq; didicit Husseinius, extemporali ac subitario ad Chocimum prælio, tātùm non seculis terminando! Ac, tametsi nihil subinde moueat, tamen imaginarium hosti tormentum admouet, intuta suspectaq; omnia, metu interprete auguranti; nec tam à perexiguis Nostrorū copijs, quàm à Martiali experimento, consilijsq; bellicis, eò tutioribus quò occultis, metuenti. Equidem Tua illa campestris meditatio Bellatorum Solertissime, irati Martis officina videri possit, in qua Othomanico ineuitabile fulmen capiti, dies noctesq; cuditur, librandum torquendumq;

à Te. Exinde solo Tui nominis terrore, spem potiundæ Vrbis ademisti barbaris, Leoburgum Russiæ Metropolim oppugnaturis, ac (vt plerumq; pauidis consilia in incerto sunt) perdiu deliberantibus, ne inconsultâ interirent morte. Scilicet, nidũ Leonis, fasciati lepores inuaderent? Te pro mænibus & Ciuibus excubante. Sua sibi Romulus Ancilia cælo lapsa in tutelã seruet, SOBIESCIANO protecti securiq; CLYPEO, Romani Scutum Imperij, nec moramur iam nec miramur.

Vixisses in eam vsq; diem, maior post funera IACOBE SOBIESCI, à Palatinis in Castellana Craci subsellia, succollantibus meritis, præcinente famâ eloquentiæ, Tullianam æquante, illatus. Cui ad fastigium cumulatæ felicitatis, illud vnum accessisse poterat, vt fortunatus Regum Parens, Fatis applaudẽtibus dicereris & esses: Prærogatiuâ, qualem voto saltem libare par fuisset. Vixisses inquam, & Augustæ Sobolis, immistus gaudio admirator, Heroica eiusdem Acta Senatoriâ styli maiestate complexus, futuris transscripsisses. Quotus enim quisq; si priscos obeamus animo belli Duces, Victoriam Imperatoriâ conclamatam voce, ferro absoluit? tam festinato Marte, vt idem prope fuerit, & cogitatione præcepisse lauream, & manu præcerpsisse hosti! Tuo nimirùm seruabantur ea decora, Triumphali verè Filio, Polonicis tum imperitanti exercitibus, nunc rerum Poloniæ potienti.

Vellem adesset nunc suo maior nomine Alexander, adesset Pompeius, vel è concussa tellure exercitus in Cæsarem educturus; inuenissent profectò arma, quæ ad hodierni cotem seculi generosiùs acuissent. Superesset vellem, & ille expugnator Solymorum Titus, & vel Tunetanæ oppugnationi, vel Rupellanæ expugnationi affuisset, tantùm inde militaris experientiæ, tantùm calliditatis & prudentiæ collecturus, quantùm ad informandam, Seculorum decadem satis foret! Munierat sese non minùs rebellionis cõtumaciâ, quàm cælo & solo Rupella, Auditores; non armata satis videbatur Hæresis, tu-

taq;

taq; ad perfidiam, si non rebellantibus quoque Oceani fluctibus, & maritimæ fæcis nauticâ colluuie cingeretur. Quid hîc ageret, immò quid non ageret Ludouicus XIII. vbi ipse Pœnorum Dux, Alpes nisu arduo ad gloriam patefaciens, plus nihilo profecisset. * Sed non habuit vitreum Ludouicus caput, quod vniûs illisu Rupellæ frangi posset. Ergo vim Numinis obtinuit; frenum pelago, habenas ventis, flammas fluctibus, naturæ leges imposuit, ille domitor Vniuersi! Id nimirũ est, intentatum nihil, nihil inaccessum relinquere, Elementisq; simul omnibus pugnare vt expugnes. Quorum si mediocria illis terrarum dominis contigisset, pridem in fastos relata, aut Liuiano in opere, aut in Sallustij annalibus emicarent. Obliquarem aliò Orationis cursũ, nisi me ingẽtium architecta operum virtus Belgica distineret: cui ipse Mars noua quotidiè machinarum nomina, remisso furiali impetu meditatur sedendo. O homines supra humani vim ingenij progressos! Quis iam Equum Palladis, fatalem Troiæ machinam, belliq; arietes vel extra fabulas miretur, præ infinitis Belgarum stratagematis? * qui non modò suprà Poëtarum miracula magnis cum fluminibus, Achillæo more, manus conserunt, non modò immisso mari, terras nauigant cum Xerxe; Neptunum etiam fractis Oceani claustris, in certamen eliciunt spectatrice Europâ. An isti veterem præliandi morem, & obsoleta iræ Martialis instrumenta, fundas & arcus, currus falcatos, Onagros bello vtiles, elephantos humano sanguine efferatos curent? quibus proprio nixis robore non ferino, persuasum sit, ne occũbere quidem nisi exquisito Martis genere perimantur. Scilicet isti ad Latinorum Secures & Aquilas cohorrescant? qui diuturno periclitandi vsu, neq; Hispani Leonis occursum paueant, neq; rugitu terreantur. Quàm appositè eò loci subis memoriam Oratoris, terror Scythiæ Thraciæq;, Supreme quõdã Exercituũ Ductor Stanislae Koniecpolsci. O quæ illa Musices inuenta! quod militiæ acroama? cùm tu Abbassio ad pugnam eliciendo,

*. *Iuglaris.* *. *Strada* 1. *Dec. L.* 1.

 tubis

tubis choros militariter cieri præciperes: credo vt ſaltatoriũ verſando orbem, rotã fortunæ ediſceret, Te iubente. Profectò erudita illa Bellonæ magia fuerat, Lunam claſſico euocantis! Ecquis enim Spartanorum, tam lepido concentu numeroſæ proluſit victoriæ? proluſit Koniecpolius. Quis ad tibiæ noſtræ modos Othomanicum ſaltare docuit militem? docuit Koniecpolius. Funebri cãtilenâ fanaticam rabiem excantare? excantauit! Humanâ maius inuẽtione eſt: maioris tormẽti globos, globis minorib⁹ refarcire tã ſcitè tã accõmodè, vt exploſi cadẽteſq;, ſimul ac torporem latentis mali temerè cõmoueris, illicò in arripientem velut ex inſidijs erumpant, fragore percellant, igniariâ peſte quaquauerſum diſcerptã diſiectãq;, in tecta hominesq; graſſentur! quaſi parũ eſſet ſemel apertè perimere, niſi tectæ necis inſolenti artificio ſæuiretur. Vt minùs iam extimeſcat fama, pomũ Fenellæ, non acinis ſed iaculis refertũ, quod quiſquis improuidè attigiſſet, multis cõfeſtim ictib⁹ figebatur. Et hæc tã ardua memoratu, tamq; obſtupeſcẽda operum machinamenta, ſeculum non ſapiunt eruditum?

A re bellicâ gradum facio ad Rempublicam, non illam ſenio & ſqualore obſitam, quæ parùm limati ſeculi, illotis quod aiunt, manibus tractabatur, ſed iſtam florentem, ſed excultam, ſed limatam, verbo expediam, politiorem Politiam. Age enim quàm ſolerter felices, & feliciter ſolertes, tuendæ ornandæq; Patriæ rationes initæ? quàm prouidis omnia cautionibus præmunita? Ordinum ſuffragationibus comprobata, ſapientiſſimis legibus temperata ſancitaq;? vt ſecura pacis belliq́ue Reſpublica, & congrua lætiori ſcenæ ornamenta præſtò haberet, & difficillimis temporibus prompta non deſideraret adiumenta. Quid multis? Hæc ipſa Comitiorum placita nuperrimè euulgata impreſſaque, nonnè prænitẽtem nobis oculatiſſimæ ætatis repræſentant aciem, faciemq́ue? vbi nihil aſperum, nihil hians, nihil agreſte, aut redundans. Quid horum ſi non affine & cognatum, at ſimile in Maioribus & moribus æui veteris deprehendas?

Verùm

Verùm adite si lubet Terrestrium adyta Legatorum, quicunque in eandem sortem Poloni Equites erudimini. Vt enim isthîc docto omnia strepitu miscētur! vt pugnantia hinc & inde sensa! vt minutissimis omnia expenduntur punctionibus, vt maturè occurritur incommodis dum consulitur in futurū! O quæ illic voluntatum votorumq; reciproca congeminatio? quæ confidentium & diffidentium controuersia? hæc refellens, illa abrogans, hæc stabiliens, illis repugnans, tanto rationum prouentu, tàm celeriter agitatâ mente, tàm expeditâ in vtramq; partem eloquentiâ, vt nusquam feliciùs vires agnoscat suas ciuilis facundia, quàm in illo Ordinum delectu, illo Libertatis in domicilio, digladiantis ingenij in arenâ, concordis discordiæ in vestibulo: vbi colligata collectaque Collegarum placita, plura in salutem suæ Patriæ vota congerunt, quàm tela in symbolum concordiæ, fasciculus Anacharsis. An tu igitur literario destitutus præsidio, neque peracri comitatus iudicio, illud eruditæ nobilitatis in theatrum venias? aspectabili Rosciorum in scena compareas exsibilandus? pro admiratione indignationem, pro plausu sannas, & conuitia relaturus? Tu, qui minùs propitiâ Pallade literas colueris, limen illud Curiæ ingredi? tu illud magnæ mentis Capitolium intrare? consultātibus interesse non verebere? cui vix Reipublicæ notum nomen, & solenne illud: *Idē Sentio*, iter videlicet protritū, quo in alienæ viciniam sententiæ abeatur. Tunc fortasse impunè licuisset desipere, cùm priscæ Nobilitati sese auitum intra fundum continenti, & sua territoria vix egressæ, ignota prætorij & Senaculi itinera, ignota Tribunalia, iudicandi vindicandiq; ratio popularis, nulla partium studia, lites nullæ, prouocandi appellandiq; iners, & lāguida, vnà cum suis pragmaticis consuetudo, frigeret. At hodiernæ genium Curiæ, vbi animo reputaueris, aut excedendum tibi esse è rudibus confitebere, aut eruditis Nobilium circulis & congressionibus abstinendum. Cuius porrò calamitatis id foret? tuâ te culpâ in eas concludere angu-

angustias, vt in tātâ ingeniorū calliditate, *. (*quando blandiri & assentari, Seculum appellatur*) vel cedēdum tibi sit loquacitati rabularum, vel cadendum causâ toties, quoties iure vel iniuriâ lacessitus, ac idoneo causæ destitutꝰ tutore, te vlcisci nō valeas, & criminosè opponenti, non inuenias quod reponas? quodq; indignissimum iudico, imputare possis nemini, præterquam imperitiæ tuæ fato, ne dicam rudi inertiæ, hoc est domestico proditori. Sinite me, Auditores, per atria Equestris Eloquentiæ in aulas Principum commigrare.

Olim stertebant in palatijs desides animæ, cædes & sanguinem Ciuium somniantes, neq; vnquam prodeuntes in publicum nisi vt violatâ terrore reuerentiâ, notos ignotosq; percellerent, portentis propiores quàm Principibus; dum non honestarum artium sed mercium, non literarum sed pecuniarū pretia attollentes, pretium facerent seruituti. Florent æui huius viri Principes, tantò admirabiliùs, quantò gloriosiùs est per ora sapientum volitare, quàm amisso pedum vsu, populorum humeris deportari, nec tam corporibus tormentum admouere, quàm ingenijs; non denique populo & ciuitatibus ob atrocitatem vectigalium, sed ob rectefactorum excellentiam, Oratoribus & Poëtis graues esse: non inscienter arbitrati, frustra turres turribus, propugnaculis propugnacula aggerari, nisi magnifica Sapientiæ erigantur domicilia. Felicem Te hoc Regalis munificentiæ erecto Augustali Rex Iagello. En vt morem gesseris desiderio Platonis, accitâ in Regni Metropolim celeberrimâ Academiâ; non nescius, parum prosperè illic regnari, vbi Reginæ Sapientiæ limites arctarētur. Simul ac diuæ memoriæ Vrbanus id nominis VIII. Pontificium in Conclaue sanctiorem euocauit Parnassum, illo simul ex tempore, aulæ Principum visæ patere ingenijs, frequentari vatibus, excoli disciplinis, humanâ diuinâq; eruditione læuigari. Exhinc humili in tugurio habitantes Musæ, è rupibus & cauernis in solem protractæ, in apparatissima Regum ædificia & porticus de-

*. *Strada* 1. *Dec.* migrâ-

migrârunt, per tot custodiarum excubias & agmina stipatorum, passu libero transeuntes. Iamq; intimo Heroum exceptæ contubernio micant in purpurâ, in solio imperant, in diademate dominantur. Quotusquisq; Procerum est, qui partâ domi forisq; notitiâ, mores gentium, instituta nationum, ritus & leges Magistratuum non viderit, non hauserit, non didicerit, non expresserit? Tametsi non iudicare tantùm de ingenijs rectè possint, sed etiam scribendo prouocare ingenia; æquè docti scribenda facere, ac scribere facienda: peritè vtrumq; & decorè, vtrumq; è dignitatis & artificij præscripto. Creber illis in ore & manu Sallustius, frequens Cæsar, familiaris Liuius, maiorum gentium Scriptores: Nam Cornelium Tacitum, eiq; supparem Famianum Stradam, è sinu, è complexu, è memoriâ ægre dimittunt: Illos consilijs admouent, illos venationibus exercēt, epulis adhibent, nec viarum comites, nec lecticæ socios abesse patiuntur; ad opprobriū stolidi Neronis, qui aurigandi arte clarior quàm regnandi, mimas inter & pātomimos princeps histrio inuehebatur, non tenentibus risum Senecâ & Lucano, quorum scripta posteaquàm acerbiùs carpsisset, dein nihilo mitior in auctores desæuijt, idem Cæsar, idem sector. Certè intimo aularum in recessu, multò faciliùs Mineruæ statuas, quàm Fortunæ simulacra inuenias; citiùsq; in viuam ac spirantem Tullij effigiem incurras, quàm in fumosas auorum imagines, quarum pleriq; nihil retinent præter lineamenta & colores. Nihil interim de Bibliothecis tanto studio & impendio comparatis, quanto cæteri prædiuitis patrimonij amplissima nomina, iure hereditario consectantur. Vobisnè hîc, eruditi Principes, an Cælitibus dicendæ habendæq; gratiæ, quòd in eam vos mentem impulerint, vt in paternum nomen ituros, magnæ spei liberos, inter libros velitis & militis educari, æquè prælum ac prælium meditantes.

Ohe iam, ab eruditis Principum aulis & aulæis, ad triclinia eorundem descendamus identidem? Apage sangui-

narium

narium Catilinæ conuiuium : tantundem illic sanguinis, quantùm meri propinatum audijmus! Non hîc more barbaro Lapitharum editur, bibitur, dimicatur, epulari symposio in lamentabilem tragœdiam, in iurgia desinente & cædes. Non hîc Sibaritico luxu infames cœnæ terminantur fastidio, sed festiuis doctisq; salibus permiscentur. Certet Cambyses maioribus vt lubet super mēsa poculis; hîc ingenio, & facetijs, proq; stylo ferreo, aureis decertatur acuminibus: quorum contactu acuisset, alioqui acutissimus aulicorum, sua Martialis Epigrammata. Illa mihi verè Senatoria mensa est, in quam non Phasianorum iecinora, non pauonum cerebella, aut linguæ psittacorum (vt quondam) inferuntur, sed Attica bellaria, sed argutiæ Poëtarum, sed Politici (vt vocant) Aphorismi, nobile ingenij condimentum. Mitto epulas, mensarumq; lautitias, quarum fructus, non iam inanis verborum profluentia, aut litigantis iurgia temulentiæ interstrepunt, sed integræ promuntur sententiæ, nec iam vsitatæ humanitatis officia, sed artificia, sed Lipsiani condimenta opsonij, sed Laconum parœmiæ, vina inter & calices propinātur. Mitto quotidiani sermonis leporē, venustatem, & responsa, extemporali nouitate gratiora. Taceo funebres illos in confertissimâ circūstantium corona Panegyricos, procul à triuio disiunctos, qui etsi antea sæpenumerò in circulis Nobilium hallucinati essēt; tamen iam sese ad correctissimi ideam seculi emēdatissimè castigârunt. Prætereo nuptialem perorandi morem scenæ ac tempori consentaneum, scholasticæ lucubrationi, & protritis eruditionibus nihil debentem.

Ac vt paucis cōplectar vniuersa, quocunq; incidunt oculi, nouam seculi formam, nouum Sapientiæ habitum, tersum vibrantis æui speculum intuentur. Age enim, num quæ diuinior Theologia ab ea quâ nunc imbuimur expetenda? præsertim, quòd admirabiliorem longè, Admirabilis orbi * Theologus reddidisset. Num sublimior Philosophia? instructior

* *Antonius Perez S. I.*

ctior Ethica? accuratior Hiſtoria, politior Politia, prudentior Oeconomica, copioſior Oratoria, caſtior ſuauiorq; Poëſis? num quæ deniq; ſub Sole curioſior Mathematica fingi poſſit? ad vſq; tot ſeculorum laborem, hoc eſt, *ad Quadraturam Circuli, Motûſq; perpetui miracula, pertinaci conatu pertingens*! O ſcripturientis callentiſq; ſeculi inexhauſtam fæcunditatem! cui ægrè iam, continuo irrequieta circumactu Belgarum præla, ægrè Typi Italici, Gallici, ægrè librariorũ officinæ ſufficiunt!

Quod * Auguſto illi ſyluarum incolæ, Valliſoletano in receſſu Turrianus, hoc ſuo immortalis nomine ATHANASIVS KIRCHER LEOPOLDO Imperatori, gauiſo admodùm, foueri à ſe, alterum ſui temporis Archimedem, ea molientem in luce gentium, quæ Roma etiam admirari poſſet. Et hunc tu talem tantumq; machinatorem operum, thaumaturgæ eruditionis præſtantiâ inclytum, vetuſtiſſimis Matheſeos commentatoribus, non facilè anteponas? Tam artificioſè, tam prodigialiter omnibus pænè ludentem elementis, illudentemq; ſpectatoribus, vt niſi pleraq; vulgo incomperta, magneticæ virtutis verſatili impoſturâ patrari poſſe prænoſcas, magicis te Ægyptiorum oſtentis aut præſtigijs intereſſe arbitreris.

Deſiderâſtis ingenioſè adſtrictum collectumq; ſcriptionis genus? illud in Pontificij Sacelli atratis Oratoribus, de acerbiſſima Seruatoris nece, verba facientibus, reperîſtis. Deſiderâſtis incognitum hactenus Elogiorum theſaurum? illum quoque Emmanuel Theſaurus, velut minuta æra, locupletioris ex eo ſeculi ærario opportunè adiecit. Aſſecutus æquis paſſibus Theſaurum Aloyſius Iuglaris, Præceptorem Auditor, altiùs rimari inſtitit, in abditas auri argentiq; venas, diſtributo per Socios labore, magnâ, orbe arbitro, Eruditi Seculi (ita me veritas amet) auctione.

Attollat ſeſe Tragœdorum princeps, & Sophocleo gradarius incedat modulatè ſocco: at ne ſolitarius incedat, intercesſit

* *Carolo V.*

cessit STEPHONII Crispus tragico exitu lamentabilis, multoties in scenam datus, nunquam non *plausu fremituq; secundo* auditus acceptusq;.

Nec Solus olim præpes Horatius, ibit biformis per liquidum Æthera, Sublimi feriens Sidera vertice, in MATHIA SARBIEVIO nactus æmulum, VRBANI VIII. Regum Vatumq; Maximi celebratus oraculo, donatus laureâ, iudicio perornatus: tantò beatiori sorte, quantò altiùs eminet Vrbanus Mæcenate, Lyricis Clientem Horatium Vatibus inserente. Sapit Belgium natiua Musarum sedes, tantùm Sarbieuianæ attribuens Poesi, vt meritissimò censeret, eam peramænæ eruditionis magistram, florentissimis oræ illius Gymnasijs prælegendam. Vide enim vt alter hic Venusinus *florigeras imitatus apes*, per Claudiani viridaria suauè olentes bibat succos, legat lilia, carpat rosas? Vt Statianas peragrando Syluas, vellit cinnama, emedullat cedros, *cadit odorato sudantia balsama ligno*. En vt vernãtia Romani Sapientis plantaria obambulans, electissimos truncat surculos, & felici translatos metaphorâ, feliciori insitione arbusculas locupletat suas! Vt idem ignauam sui seculi insectatur vecordiam, canit classicum, scribit militem, armat principes, signa explicat, classem instruit: nec iam saxa & rupes, sed Europæ orbem ciendo mouet, ad recuperandas aliquando Prouincias captiui Orientis. Et adhuc is egregio Ericij Puteani Elogio, *Romanus Ore, Natione Sarmata, cultissimi Vir ingenî*, cultiori ab se etiam seculo, mentem auream non indiderit? calentiq; entheo spiritum non afflârit? Minùs iam veteri Latio suos inuidemus Horatios, dum Sarbieuio, nostrate Musarum delicio gloriamur.

At quàm prælustrem, ineruditæ quondam ætati, accẽdit facem, Antistitum Principumq; Regni Primus, IOANNES LIPSCIVS, in quo spirantem Lipsium, scribentemq; intercepti Vindicias CASIMIRI, agnouit Gallicana Curia, suspexitq; nouam Gallici Herculis vim, flexaminâ potestate, gentem humanita-

ti na-

ti natam, ad leniora consilia attrahentis; eo exitu, quem & Statûs ratio, & Causæ æquitas, & confinis MaiestatumCognatio polliceri visa fuerat. Sensit quin etiam illum ipsum Sigismundus III. Regum Pientissimus, lugubri calamo, lugubriore animo, Suprema sui Funeris prosequentem, partientemq; cum AmplissimoCollega STANISLAO LVBIENIO, lugendi officium, vt vocem hic, doctæ dictæq; à se Panegyri, ille elinguem dolore stylum, Communi amborum Principi, certante obsequij gloriâ commodarēt.

Audiuit arrectis circùm vrbibus læta Austria, Infulatum Archi-Nestorem ANDREAM OLSZOWSKI Sacrorum Præsidem Primatēq; Regni, Pronubo Sermone Imperatorijs dulcè influentem auribus animisq;, incertâ sui etiamnum Viennâ, Hominisné ea vox fuisset, an allapsi cælitùs Paranymphi, DEAM nobis AB AVSTRO euocantis. Argumentum & Summa Orantis, ELEONORA LEOPOLDI Augusta Soror, formâ & dedicante formam Sanctimoniâ insignis. Ita Conciliatrix illa Voluntatū Suada, maritando Principi curarum Sociam, prosperis dubijsq; præsens leuamen, paciscendo sanxit, gnara perbellè, *Regum Consortia, Regnorum esse Adminicula.* Auget præterea, perquàm eruditi famam Seculi, fidemq; assertioni meæ adstruit, illud ex lugubri Vocale Classicum, quo IOANNIS CASIMIRI Serenissimam vel ab OccasuVmbram prosecutus, recenti mæstitiâ, Senatûs Populiq; Sarmatici Vectigales Lacrymas tristi iterum Ministerio exciuit.

Tibi verò, ô quàm expolitum nitidè ad eruditi normam legemq; Seculi ingenium, maiores ad infulas, multiplicem adiecit Oleam, Pacis pactorumq; felicissime Arbiter IACOBE ZADZIK. Eò Te Virum Diuino simillimum incredibilis peritia, *Iuris & Æqui retinentissima*, iuxtaq; tractandarū quà rerum, quà mentium explorata prouexit industria, vt ipsismet ab hostibus, (ex affabili & innoxiâ popularitate,) *Fœderum Sanctitor, Metatorq; Finium*, expetitus vltrò, Suetica Moschouitica, inge-

ingenia, non cælo magis, quàm religione moribusq́; dissita, admirabili facundiæ prudentiæq́; ductu, omnem in partem flecteres regeresq́;.

Adiecerit Vero calculum, quisquis eruditi gemmam Seculi nuncupauerit ANDREAM TRZEBICIVM, Primo proximum Principē Præsulemq́;, nescio quid Virile ac robustum suo agnomine præferentē simul implentemque factis Istud profectò est, Diuinis ante Humanisq́; instructissimo disciplinis, æquè familiarem sibi Tacitum & Aristotelem, atq́; amicum Aristoteli Tullium reddidisse. Quis non horum assuetudine refici, contubernio perfici exambiat, ac deniq́; ad statum staturamq́; Sacro-Ciuilis Sapientiæ ex dignitate attolli.

Audax prorsus ac temerarius videri possim, si vtriusq́; subsellij Senatoria tot lumina, in obscuras lucubrationis meæ angustias cogi velim: ANDREAM loquor SZVŁDRSCIVM, nec non STEPHANVM WYZGA, illum Posnaniensi, hunc Varmiensi claros mitrâ, clariores eloquio, Summis templorum exedris personante; quodq́; vberius ad famæ incrementum, Augustissimis Regum Poloniæ, seu auribus seu Manibus impenso, piè ad luctum, ornatè ad memoriam Virtutis multifariè dispēsato. Contentiùs me tamen blandiùsq́; allectat afficitq́; *Vitatus tempora Præstes* VARMIÆ tanto Pastore fruentis. Et par erat, vt coronata Dominantium Capita Laureatum vel ab ipsa nominis energiâ Ecclesiasten, interq́; Mortales, *nil mortale sonantem*, suo numerarent in censū, altioribus detonantem rostris, fandi gratiâ incomparabilem, rerum inuentione singularem, varietate multiplicem, Verborum splendore nitidum, Sententiarum granditate assurgentem ex interuallo, Moralis opulentiæ Argutū Analecten. Quantū est, rerū virorumq́; æstimatori placuisse VLADISLAO, aures q́; CASIMIRI implêsse!

Frustra, *Decora nube Modestia*, sese occulit obtegitq́; Premislianæ Sidus Adoreæ SARNOVIVS: Præclara Viri Pietas erudito coæua seculo, totam incurrens in palpebram latere me quî possit?

Teneo

Teneo Te, Sequacis Gloriæ Nobilē Fugitiuum, felicioribus digne Infulis, THOMA VIEYSCI: teneo Te inquā, geminæ Eruditionis tuiſmet vinculis irretitum. Accedant, illuſtribus à compari eruditione Collegis, MADALINII, LANCKORONII, DĄBSCII, cæteriq; Pontificijs inſigniti dotibus ac Tiaris.

Egoné Te, incurioſâ ingratâq; diſſimulatione tranſmiſerim STANISLAE SKARSZEWI Caſtellane Woynicenſis? Improbum ſanè, aut captum oculis eſſe oporteat, qui in Te omnibus abſolutam lineis, peritioris imaginem Seculi non peruideat. In Te inquam, Regnatricis Aulæ Curiæq; præceptionibus, ad omnem ciuilioris vitæ elegantiam abundè inſtituto. Congenitam Tibi Tuiſq; peracuti vim ingenij ignorauerit is, qui Te Tuoſq; nec à limine ſalutauit: & vidiſſe audîſſeq; vos, capi eſſet. Planè in Domeſtico Tui generis Inſigni, videre mihi videor, Patritiæ Eruditionis aſpectabilem * ACERVVM, an Hoſpitaliſſimæ Vrbanitatis obuium patenſq; Tectum, Manſuetioribus verò Muſis, vetere Patrocinij præſcriptione, *Fidiſſimam Stationem.* Semper hîc lætæ ſegetes, frugiferæ eruditionis plenas matureſcunt in meſſes. Hoc ſub culmine, inſignes à doctrina Viri, ſua reperientes vmbracula, nollent * Antonianam platanum, diffuſis largè ramis diſceptatores opacantem.

Iamq; mihi, velut è longinqua nauigatione proſpectanti portum, * OPALINIANA ſeſe infert NAVIS, in quam omnis congeſta eruditio, omnium admiratione tenet animos, in ambiguo nutantes : Nauimné illam rectiùs, an Bibliothecam Sacræ profanæq; Eruditionis copioſâ ſupellectili inſtructiſſimam dixeris. In tantum ille Scientiarum appetentiſſimus Inſtitor, liberali Eruditorum commercio prouectus eſt, vt vltra Ciuem Patriæ niſu arduo euadens, non modò NATVRALIS THEOLOGIÆ Arcana, eruta proditaq; mūdo patefecerit; verū etiā Vindicatæ, DEFENSÆq; à ſe POLONIAE negotiū tutelamq; ſuſceperit par vtriq;.

* *Skarszewiorum inſigne* * *Cicero L. 2. de Orat.* * *Opaliniorum Stemma.*

At STANISLAI LVBOMIERSCII, Paternæ æmulam, & Curiali subnixam Scipione Eruditionem, suoq; liquidiorem SRZENIAWâ, suffecerit interim velut in transcursu delibâsse. Plenioribus alibi alueis, hic idem Cælo effluens influensq; Eridanus, *ac Scuta Virûm galeasq; voluens*, pari Sanguinis Gloriæq; perpetuitate, Allegorico tractu deducitur, LVBOMIERSCIANÆ in laudes Prosapiæ, Suo nunquam & nusquam cum * FLVVIO desituræ.

Ecquis nesciat SAMVELIS LESCZYNII Castrorum Metatoris Musam Posthumam, Dacico-Cannenses *Lauros & Regia Serta canentem*! Porrò quis MORSZTINIANÆ non assurgat Poesi, nil non argutum & sublimè sonanti, eòq; intactis Arabum thesauris cariori. Vni illi in acceptis ferat, *Sacra Natio Vatum*, ne KOCHANOVIOS, TWARDOVIOS, SIMONIDAS, Nostrorum Primores Poëtarum abesse quiritemur.

Aurem hîc mihi vellicant, admonentq; officij, Tua, MAXIMILIANE FREDRO Terrarum Russiæ Castellane, MONITA POLITICO-MORALIA, quibus percupidum Veri Lectorem afficis instruisq;. Ad hæc, Poloniæ Regum Acta, fastis à Te addita, ac tanto perennatura Auctore: iuxtaq; ICONEM INGENIORVM, Tuo ipsius genio conformatum, manu terimus, cogitatione reuoluimus, animo regustamus. Finem eruditi Seculi, nisi fecero, non inueniam. Te ego IOANNES SZVMOWSCI, gazæ Regiæ Arbitrum Custodemq; mirer potiùs, quàm auro gemmisq; coruscantes arculas: mirer festiuissimæ ingenuitatis Hilaria, seuerioribus attemperata Effatis: mirer eruditos ex faceto sales, quà liberæ quà vinctæ facultatis; cuius, Te comiter inuitante præeunteq; *Pars tantilla fui relegens vestigia Vatis*: Hæc inquam quæ Tua sunt, indulgentioris Naturæ decora, impensiùs demirer, quàm spolia Fortunæ, quibus peregrina raritas, arbitrarium appendit pretium, impostore fuco.

Aliud mihi, ex alio eruditissimi seculi argumentum succurrit. Necesse tamē non habeo illustriorē eruditæ mētis imaginē

* *Vide suo loco.*

extra

extra Te quærere, ALEXANDER BEłZECI Podolienſis prouinciæ Palatine, Cui, *Muſas amantis gloria Belgij, inſedit alto pectore Lipſius*, ille ille Ericij Puteani, Tuuſq́; compendio Eruditor.

Quotquot regno Poloniæ, quotquot Magno Lithuaniæ principatu, Togâ Sagoq́; offulsêre Heroës, * POTOCIANO debent calamo, Heroici Ortum Seculi in Centuriam diſtributi. Suum vnicuiq́; decus, æquabili meritorum partitione, dum rependitur, quidni æternitatem famæ, ſpe præſumant? eamq́; in acceptis ferant Nobiliſſimo Scriptori, ingens Militari Togatæq́; gloriæ calcar admouenti in Centumuiris Polono-Lituanis, *Quorum inſudatur Honori, Et prælo & calamis, Tantus quos tẽperat Auctor.*

Et quoniam à continenti iactatione, contrahenda iam iam Oratoris vela, Veſtræ Auditores beneuolentiæ adſpirantibus Fauonijs, exſcenſionem apparant & celeuſma: Tuum iam erit, Sarmaticæ iuuentutis Polone flos, hæc meditari, hæc agere, in his eſſe, ne tam erudito ſeculo diſſimilis videare. Retinete, per Veſtrum Vos oro Sanguinem, terſiſſimã expolitæ ætatis imaginem, cum Maiorum imaginibus retinete: eandem veſtris aliquando Minoribus, fide integrâ maioribus exemplis ad imitandum tranſmiſſuri. Ego, ſi benè veſtram noui indolem, antè vos in ferrum & ignem incurſuros contenderim, quàm vt patiamini, in tanta omnium ætatum atque Ordinum eruditione, rudes eſſe. Vtq́; cætera abeſſent, ipſâ omnino naſcendi neceſſitate, in eam temporum conditionem incidiſtis, vt velitis nolitis, ſi modò ij eſtis qui debetis, cum ſapiente ſeculo ſapiatis. Et ſapietis equidem, ſi ad vota Patriæ, ſpem Parentum, deſideria Amicorum, famam poſteritatis ſubinde reſpexeritis : impetraturi à vobis quidlibet, ſi Senatûs grauitatem, ſi Comitiorum amplitudinem, Legationum momenta, epiſtolarum argutias, extemporalẽ in ſubitis Congreſſibus Eloquentiam, dignam Libero, neceſſariam

*. *Seculum Bellatorum & Togatorum. Authore Paulo à Potok Potocki Caſtellano Kamenecen.*

riam Equiti, perutilem omnibus memineritis: Si denique circumſpectis Nationum ingenijs, literarum cultu, morum elegantiâ, ſermonis venuſtate, profundè in animum demiſeritis:

Quantùm dedeceat Erudito Seculo Rudem eſſe.



PARENTALIA
PARENTI PATRIÆ
VLADISLAO IV.
POLONIARVM & SVECORVM REGI

Semel Mortuo, ſemper Victuro,
Inter Iuſta Exequiarum perſoluta,
à Cracouienſi SOCIETATIS IESV Collegio Dolente
In Baſilica Principis Apoſtolorum PETRI & PAVLI
Anno Mortalis DEI MDC. XLIX. II. Kalend: Febr:

V. R.



P. Sq.

Vnum Principi inſatiabiliter parandum: Proſpera ſui memoria.

Tacit. L. 4. Ann.

RE-

REGVM SERENISSIME CASIMIRE.



Primo Tuæ Serenitatis exortu, obuersi in Occidentem alterius, ita lætitiæ ac mæroris dispertimur munera, vt gemino intenti affectui, minùs respondeamus vtrique. Nimirum vt Gaudio, ita Dolori sua cogendi vis inest. Ne persoluere quidem, Fratri Tuo, Regi nostro Parentalia potuimus, quin Tuorum plausus Triumphalium sentiremus. Quænam illa fuêre Thebanorum Principum germana odia, vt nec idem regnum superstites, nec idem rogus pati potuerit defunctos? Tantus Fratribus vel post funera sensus irarum! Rara hîc, & supra veterum miracula eminentior Fratrũ Gratia; dum ita Magnitudini suæ moderantur, vt neuter de alterius fortuna detrahat; nec Solium Tumulo obsistat, nec magno Sideri officiat ingens Vmbra. Eandem Tu præsente Vladislao auctoritatem, quam absente retinebas. Quin ex eo quoque amplior Tuo Nomini reuerentia intendebatur, quòd Te ille suspiceret altiùs, impensiùs amaret. Iure igitur, & è reciprocæ pietatis genio, iterum renouatæ à Ciuibus Complorationi atratus interuenis. Omnis, beneficentiæ illius locus peruius, quidni publicos patescat in luctus? Tam Gloriæ Vladislai IV. quàm Dolori Sarmatico, vnum non sufficit theatrum. Non hodie primùm cœptas Poloniæ Exequias, prosequimur tot ad Aras. Æquè in Regum laudibus, ac Iustis, religiosi sumus. Etsi se lugeri magnificè prohibuisset Vladislaus, vetitum niteremur in dolorem; vt in hoc solo officio nos minimè haberet obsequentes.

Cui Regale olim Trophæũ struximus, ferale eidẽ mærentes cõponimus Suggestum. Deploret Roma suas in Gordiano delicias, in Augusto moderationem, æquitatem in Aurelio, parsimoniam in Carolo: Polonia excidium omnium in Vladislao bonorum. Heu breuem boni Principis vsuram! Quanquam si operũ magnitudine, eius metiremur Ætatem, non annis, verùm integris constare seculis crederetur. Tu Regum Pacatißime CASIMIRE, *dum Augustis Cineribus Magni nuper Pacificatoris, Pacem precaris, nostram vt cœpisti, firma.*

INDICTIO EXEQVIARVM
INVICTISSIMI VEL A MORTE
VLADISLAI IV.
Regno & vitâ feliciter functi ac defuncti.

ELOGIVM I.

Conuolate gregatim Aquilæ
Ad Magnæ Reipublicæ Magnum Corpus.
Morem gerite, quem hactenus gessistis,
Vel Officio, vel Oraculo.
Concurrite vndequaque Orbati Liberi,
PATRI PATRIÆ PARENTAMVS
VLADISLAO IV.
Heu quantùm in hoc vocabulo Orbitatis!
Vno omnia funeramus in funere:
Vitam Patriæ, Gloriam Procerum, populorum Tutelam.
VLADISLAO!
Honori Ciuium, Terrori hostium, Regni Vindici.

VLADISLAO!
Pacificatori Patriæ, Legum animæ, Regum Ideæ.
SPECTA
Si potes præ lachrymis ô Sarmatia,
Quò ille decreuit Gigas terrarum!
Abſolutiſſimam Boni Principis imaginem
Vel ex defuncti lineamentis tranſſume.
Quidquid admirandum in Cæſare ſuſpexit,
Auguſtum in Auguſto adorauit,
Amabile in Traiano dilexit Roma,
Id totum
In Compendio Regum & Cæſarum Vladiſlao IV.
Admirata eſt, coluit, adamauit Polonia.
Sed heu!
Ne hoſtium quidem querelæ obnoxium,
Querimur, ſolo & Solio ereptum.
Ei nūper annos precabamur de noſtris,
At ille quam dederat, ne repeteret Salutem,
De Suâ noſtram auxit.
Ætatem tempori, morti ſpolium volens ceſſit,
Gloriam nemini.
Quid inter Animam & Animum intereſſet, nôrat:
Hinc iuſtà partitione,
Illam Auctori ſuo, hunc Fratri Auctorato
Cum Sceptri ſuffragio tranſmiſit.
Optimè Ciuibus prouidens, benè ſibi,
Cùm Filium non poſſet, Famam inſtituit Heredem.

Adeste Hospites
Regio Funeri superstites, & vestro.
Ad Mortis Comitia, velitis nolitis, veniendum.
Abesse hinc ne possint & Liberrimi,
STATVTVM EST. *Hebr: 9.*

ELOGIVM II.

Pompæ Funebris apparatus in Basilica
SS.Petri & Pauli Apostolorum.

In vultu Poloniæ, non in pagina
Lege Exsequias & luge Spectator.
Priuatæ hinc exeste Querimoniæ.
PVBLICI DOLORIS hac in Ara,
Æterno Ordinum litatur Mærori;
Cui remedium quærimus vel à loco:
Flere amarè tam Petri est, quàm Nostrum.
Fascem hunc Myrrheum
Prælo exprimimus, oculis eliquamus.
Dolemus Dolorem nostrum, non ducimus in pompa.
Priuatorum est verè dolere absque arbitris;
Vniuersalis Calamitas poscit celebritatem & theatrum.
* *Facem tamen Auersi nè tenete Subditi:*
Et ille Vestrûm neminem auersatus,
Dignum odio nihil gessit in vitâ,
Amore & stupore omnia.
✠ *Cremet montes thureos, Nero prodigus,*

Nec

* Ex ritu Veterum. ✠ In funere Poppææ coniugis. Suet.

Nec, si balsamum oboleat, labem nominis abolebit.
Fruges Arabum odoratas hîc ne spargite:
Meßem decorum suo collegit Manipulo Vladislaus,
Quò non Sterilis occurreret Frumento Electorum.
Imperatoris sui procul ne abeßet à Curru, *
Anteambulo præiuit Ascensuro.
In cæteris Deum secutus triumphis,
In hoc vno præceßit Triumphantem.
Discedite Hospites:
Egit Actûs vltimi Scenam vltimam Vladislaus IV.
Ego si noui Genium CASIMIRI,
Accendet vel à Face hâc funebri
Rogum fatalem perduellibus.

Ita faxit
Princeps Principum & Rex Regum.

ELOGIVM III.
VLADISLAI Genus & Bona Corporis.

Date viam, Diui Cælites,
Vestro, quia Diuûm Sanguini, Vladislao.
Alibi Suecorum, Gothorum, Vandalorum,
Hîc Cælorum Hereditario.
Vt absint testes tabulæ & Chirographa;
Virtutis Priuilegium satis fuerit.
‡ Vnum è Pacificis Regnatoribus

* Pridie Ascen: Dom: obijt. ‡ Pacifici, vocantur Filij Dei.

Regem ne ambigite Vladiſlaum,
Intra vos Patriam ei debetis & Maiores,
Ex manu meliùs quàm ex facie agnoſcendum;
Quanquam & hæc ſupra hominem auguſtior,
Auguſto etiam vmbram fecit.
Niſi quòd hic noſter vile ducebat Imperium,
Ad quod ſola formæ præcellentia ius haberet.
Itaque ex Traiani ingenio,
Dum magni cognomen Pulchro præelegit,
Gubernaculis acceſsit dignior ex vtroque.
Nimirùm, non eiuſdem Fortunæ donarium eſt,
Oris & animi par Maieſtas.

Diſquirant Politici:

✠ An maior veniat reuerentia ex longinquo?
Vladiſlao maxima, vel ex abdito.
Matri, necdum genitus, Maieſtatem auxit,
Gratiam Gratiæ adijciens referenſq;.
Quo erat animo futurus in Patriam,
Docuit ſenſu materni beneficij, nondum natus.
Omnino iurâſſes caruiſſe infantiâ Vladiſlaum.
Iura naturæ anticipat,
Supra Leges & Reges mox futurus.
Expreſsit ad viuum Pater Proauos,
Vtroſque Filius, par vtriſq;.
Non facilè haberet maiorem ſe Sigiſmundus,

Niſi

✠ Matri vtero geſtanti auxit venuſtatem. Vide Vaſſemberg.

Nisi ipsemet genuisset regnaturum post se.
Disce tu interim orba Lechia:
Bonos Principes commodari non donari Ciuibus.

ELOGIVM IV.

Die SS. Primi & Feliciani nascitur, Annâ
Austriacâ, *Anno Natalis Christi.* 1595. 9. Iunij.
Plaudite Gratiæ,
✠ *Vna Vestrarum parturit Decus nostrum.*
Nascendi fortunam debet Gratiæ,
Ne fiat ex toto vectigalis Naturæ.
Vlnis & osculis Procerum stringitur:
Amor Patriæ, Pignus terrarum,
A Matris quoq; nomine Gratiosum.
Sinu certatim Senatorio confouetur
Paterni Manipuli Spes in Herba.
Votis & manibus gestatur cupidè,
‡ *Suæ baiulos Maiestatis Patricios*
Nactus antè quàm natus.
† *Concurritur ad Regalem hortum, orto Sole.*
Primo *attamen &* Feliciano *præcurrit nemo.*
Dicant iam Siderum Scrutatores:
Quid iuris habeat ad Primam Felicitatem
Quartus nomine, Primus gloriâ VLADISLAVS?
Procul Obliquum Retrogradi Sidus Cancri;
Recta hîc, quia Austriaca institutio.

Pote-

✠ Anna Gratiam sonat. ‡ A Senatoribus sellâ curuli gestabatur in Matre grauida: † In hortis mane Regijs natus ✠ Iunij signum.

Poteſtatis & Gloriæ puer & Rex Vladislaus,
Nec regi ſe ab aſtris nec trahi ſinet.
Congenita Regum Serenitas
Extraneo Siderum concurſu, ſerenari haud poſtulat.
Satis illi fulgoris & luminum
Iagellonica & Auſtriaca Domus dedit.
Erraticam Planetarum leuitatem,
Fixæ indolis conſtantia expunget.
Timete monſtra Thraciæ & Moſchuæ:
Hercules naſcitur Polonorum.

ELOGIVM V.

Vaticinia Spei publicæ deducta ex Oſtentis & Horoſcopo
VLADISLAI.

Matres procul eſte profanæ.
Pedem è limine Hecuba facem gignens;
Primigenia hîc Fortuna, vice fungitur obſtetricis.
Paternam de Caligula querelam audiîmus;
Se populo Romano Phaëtontem educare. Suet.
Non cadit temeritas in conſilia Vladiſlai.
* Accendat Orto Galliarum Infanti Natura
Nouum ſidus in Cygno;
Noſtro, candidiore in Aquila,
Tam Solis quàm luminum patiente.
Omnino lucis Filius
‡ Venire in lucem noluit abſque luce.

Or-

* XIII. Ludou. Iuglar. ‡ Nocte natalem eius præcedente arſit pars Regiæ Crac:

Ortûs sui prænuntios misit ignes,
Quò se datum à Patre Luminum probaret.
✠ Solenne iam & Lechicis Regibus præferri tædas.
Vt tamen scires Pharum fuisse, non incendium,
Palàm docuit Vulcani temperantia.
At cocto lateri laminam substituens Sigismundus,
Augustius Craci Regiæ tectum induxit;
Nouo documento:
Nunquam tantùm obesse Principes, quantùm prosunt.
Habet æmulum, quisquis iactauit:
Romam accepi lateritiam, marmoream relinquo.
Datur Cernere, ad hanc ipsam flammam:
Quàm illustri satellitio & prodromis
Terras ingreditur Serenissimus:
Sit Oraculo vti fas:
IGNIS ANTE EVM PRÆCEDET. Psal. 96.

ELOGIVM VI.

Natalis Vladislai dies excepit proximè Comitia Regni, in quibus tunc de Societate belli in Turcas agitatum.
Annæ Austriacæ Prima Fecunditas Vladislaus
Metum sterilitatis ademit Oratoribus & Historicis.
Animos & calamos aptate Poëtæ: ingens nascitur Argumentum.
Exinde in bicipiti somniantes Parnaßo
Mera orbi somnia non dabitis.
Fingendi neceßitate vos absoluit,
Maior opinione & factis Vladislaus.

✠ Alex. ab Alex.

Prodigium dixeris non Infantiam!
Risu cognoscere Matrem, necdum poterat,
Quùm in Curia consultanti acceßit Patri:
Quasi iam tum in societatem belli Turcici admittendus.
Sic Regni Comitijs panè antequam eßet, interfuit!
Indignatum crederes moræ mensium,
Quòd non citiùs humano generi opem ferret:
Lucinâ tardante Bellonam.
Lugete Christiani Principes Vladislaum IV.
In meditatione belli Turcici, & Natum, & Mortuum.

ELOGIVM VII.

Vladislaus puer admodùm, Magnus Dux Moschouiæ legitur, iurante eius nomine Stanislao Zolkieruio.

Iuret Nouennis Annibal in perniciem Romanorum;
Noster, à Quinquennio
Coniurat in salutem Moschouiæ.
Sed eâ periuri in deterius abusi,
Pœnas adulto postmodum Regi dedêre.
Qui fidem Principi debuissent.
Ohe! & iô! quinquies, Principi Vladislao,
Olympia ludenti priùs, quàm nôsset.
Quinquennales tunc Fortuna ludos instituit,
Sacros Honori Prætextato.
Heus Natura

In tam

In tam serio Vladislai lusu,
Risum teneat * Zoroastres.

ELOGIVM VIII.

Princeps Expeditionis Turcicæ, in Osmanum Bizantij Imperatorem, Vladislaus.

Puer prodidit vagitu hostes Tiberius: Sueton.
Vladislaus propè perdidit vix dum natus.
Prima vagientis vox & Fama,
Portæ Otomanicæ illata metum intulit.
Hem nouum ad portas Annibalem!
Sudet Orpheus, Thraces congemant:
Illi grauis, his nascitur fatalis Vladislaus.
Fuerint alibi spontaneæ Thracum lachrymæ,
Huius Genethliaco iussæ debentur.
Fasciatum orbis Terrorem
Terruit, vel in fascijs, Terror alter.
Ætate, pòst & victoriâ, Osmano grandior,
Feroculam Tyranni iuuenis insolentiam,
Suo sub fasce posuit ad Chocimum.
Ita infelix Osmanus,
Dum adhuc, per ætatis & iræ impotentiam,
Ensem & Fortunam rotare nescîsset,
In Suam suorumq́; ceruices impegit.

* Bactrianorum Rex primùm natus risit.

Maioris machinæ pilam à barbaris explosam,
✠ *Ad pedes tunc languentis, innocens deposuit Fortuna,*
Ne febricitanti colluderet Alexandro.
At ille Tormentarium Osmani mißile,
Maiore mox remisit tormento:
Nam deturbatum priùs è statu mentis
Postremò è campis Valachiæ pepulit palabundum.
Anno Pactæ Salutis M. D. C. XXI.
Sexto Idus Octobris.

ELOGIVM IX.

Electus & Coronatus Cælitum Hominumq́; studia demeretur.

Assurgite Cæli Principes
Honori venientis Vladislai:
Prior ille assurrexit vestro.
Nunquam securiùs, quàm sub Forti,
Quietiùs, quàm sub Pacato Principe
Cælestes Animæ habitâstis.
Fuerit alijs ars prima Regni: *Poße inuidiam pati,*
VLADISLAO: *Parâße amicos.*
Bene vtiq; persuaso,
Regnum ijsdem artibus tuendum eße,

Qui-

✠ Sobiescius in Historia Chocimensi.

Quibus initio partum est.
Amore Ordinum illatus in Solium,
Vnum timuit, ne à subditis timeretur.
Rarum firmandi dominatûs artificium,
Cæli studia & suffragia occupare.
Sola sic regnandi ambitio honesta est.
Agendum in Superos vel cuniculis, Mortales:
Sinunt illi, auro perfodi domum suam.
Quis crederet?
Cælites quoq; largitionibus capi posse!
Lautè & regaliter habiti à Vladislao,
Patriam, extra cæli ambitum, habuêre.
Idem Regum Hospitalissimus,
Etiam Deo Homini mensas posuit per Delubra.
Certius, his ex Hostijs, omen capitur in hostes.

ELOGIVM X.

Expeditio Moschouitica, contra Michaëlē Borysowicz Ducem Moschouiæ, eiusq; Generalē Exercituū Michaëlem Sehinum.

Ecquid Cælitem Dei Armigerum
✠ *suis vbiq; armis præficit Mars Polonus?*
Suspicite Bellatoris prouidentiam!

✠ S. Michaëlem.

* *Moturus in Moschouiæ Tyrannum Michaëlem,*
Cæli Militiam, suo cum Principe,
† *Stipendiariam sibi fecit: nisi fœderatam malis.*
Frustra biceps Moschouia, Binos obijcis Gigantes;
Gemino sufficiet Michaëli Vnus,
Cui à bellis etiamnum feriari non vacat.
* Præliatur iterum Michael cum Dracone:
Haud dubiè trahente ortum à Lucifero;
Nam & alieni appetens, inuasit non sua,
Et in Aquilone sedem fixit.
Michaël Fedrouicius, & Michaël Sehinus,
Serò questi, sensêre post cladem,
Abfuiße suis nominibus
Aligeri Michaëlis & Ensem & Libram.
Malè discinctus Borysowicz Baltheo exauctoratur:
* Colo & fuso donatus, vel ideò,
Vt collo tæniam, fati sui artifex pertexeret.
Mali consilij peior minister,
A Duce præfocatus, Spes nimias exspirauit.

ELOGIVM XI.

Deditio Castrorum hostilium, ad pedes Vladislai.

Ad

* Ducem Moschouiæ & Michaëlem Sehinum. * Insigne Moschouiæ Draco. * Ob rem sinistrè gestam in bello, Sehinus mulctatur domi.

Ad Classica Stiliconis Venti an venerint,
Viderit, nisi fide claudicet, Claudianus.
Contumacius Æoliæ ingenium est,
Quàm vt ad imperia hominum flecti possit.
Vladislai ea fuit prærogatiua,
(*Insesso ab Aquila Aquilone*)
Ventos frenare Boreales.
Extra fabulam, vidimus in Moschouia,
Vinclis & carcere castigatum Boream. Virg. 1. Æneid.
Isthic Sehinus vento leuior,
Timere ac tumere desijt. ;
Castris exutus ad Smolenscum, vitâ domi.
Temeritate & irâ, Karakassio germanus;
Præterquàm quòd hic in Oriente occidisset.
Facturus aliquid fortiùs in acie Sehinus
Nisi ex equo Seiani pugnâsset. *Prouerb.*
Prozarouius & Lesleus
Duo turbines Michaëlis,
Excitatos à se belli pulueres relambunt.
Placare Matrem omnium debuêre prostrati,
Quam pede improbo pulsarânt.
Non egemus iam Cæsaris Commentario,
In tam dilucidâ Vladislai Victoria:
Inimici eius terram lingunt. *Psal. 71.*

ô be-

O benè conſona bonis fata!
Sub idem fermè tempus
VLADISLAVS VRBANO, VIII. Obedientiam,
Illi Sehinus iurauit.
Diuiſa tunc cum Rege habuerat auſpicia
Orbis Orator Oſſolinius:
Ad Smolenſcum ille, hic Romæ triumphauit.
Conteſtatus palam Latio:
Æquè promptum Sarmatis,
Agere fortiter, ac loqui diſertè.

ELOGIVM XII.

Stratagema Vladislai, Tabellarium Virgulto tegentis, ſub obſidionem Smolenſcianam.

Dodonæas in Epyro quercus quid quæritis?
Vocales ad Moſchouiam tranſtulit arbores Vladislaus.
* *Et hæ obſeßis Ciuitatibus Oracula ſunt,*
Cùm deſperatam adſpirant & prædicunt vitam.
Numen ad pugnam prouocâſti Sehine,
Temeritatis pœnam lues arbore.
Integras contra te ſyluas animare potuit,
Si

* Smolenſcen: certiores facti de ſuccurſu proximo.

Si inclementiùs agere voluißet.
Veriorem Amphione habuisti Polonia
Non saxa modò trahentem sed & arbores.
* Habet suos virtus numeros & concentum:
Prô imperium potestatis!
Eodem penè tempore & Moschi ad Smolenscum,
Et Abaßius in Podolia,
Illi ad tubas Vladislai,
Hic ad tibias Koniecpolij saltêre:
Cùmq; actus Tragicos pollicerentur
In Comicos versâ orbitâ desierunt.
‡ *Conferant Bellatores, Truncos & cortices Premislai*
Cum Regio Vladislai Virgulto.
Mirâ vterq; Metamorphosi:
Virum hic in arborem,
Ille arbores animauit in Viros!
Vel hoc vno stratagemate, nisi iam habuißet,
Regnum meruißet Vladislaus.

Audi Lector:

Siquid effectum aut seruatum voles,
VLADISLAVIANO committe virgulto.

F ELO-

* Seneca. ‡ Premislai stratagema in Morauos.

ELOGIVM XIII.

Nouum in Arbores Montesq; imperium Vladislai ad Smolenſcum.

Manu mittamus tabellarias columbas,
Præſtò ſunt arbuſta arcanorum nuntia;
Animam illis & fidem Regius indit ſpiritus.
Videmus iterum homines inſtar arborum ambulantes!
Diſsimulare perſonam, iam & nemoribus conceſſum.
Contra ſtipites illos
Plantis & vimine pugnandum erat.
✠ Potiundæ illico Moſchouiæ,& hic Satyrus omen dabit.
Non feræ ſolùm & aues condocefieri,
Sed & Syluæ poſſunt ſub Magiſterio Vladislai!
Eius inſcribant alij Cælo nomen,
Nos illo ipſo cortice incidemus.
Quod ſi
Fruſtra obſtantes magnitudini ſuæ tollit montes,
Alter mihi fuerit Thaumaturgus!
‡ Ille baculo in arborem vireſcente, contra Lycum,
Hic arbore vtitur eiuſdem nominis in Tyrannũ.
O cæleſtem per omnia Victorem!

Qui

✠ Vt olim Alexandro obſidenti Tyrum. ‡ Lycus fluuius & Lycus Tyrannus.

* *Qui inglorio alaudarum occupato colle*
Suæ Aquilæ nidum fixit:
Alaudis Moſchorum, ver cum voce adimens,
Ne quid poſthac non in laudem Principis modulentur.

ELOGIVM XIV.

Clementi Vladislao.

Nunquam Parcæ parciores viſæ
Quàm cùm ne illi quidem parcerent,
Qui toties & hoſtibus peperciſſet.
Vitam, quam adimere ſontibus potuit, dedit.
Tanti eſt iram in poteſtate habuiſſe,
Vt & hoſti ſi velis iraſci haud poſſis.
Moſchos perfidiam confeſſos abſoluit,
Accedentes accidentesq; erexit;
Polonæ Dominus Aquilæ, Leonis in morem,
Sæuire dedignatus in proſtratos.
Diſplicuit leniſſimo victori laurea
Quam atrox ſæuitia decerpſiſſet.
Nemo idcirco meruit iuſtiùs ARCVM PACIS,
GRATIAS à mortalibus IMMORTALES:
REGALE à ſubditis TROPHÆVM.
Ad vigorem Clementiæ, ipsâ pedum ægritudine vſus,

* Moſchouiæ mons alaudarum dictus.

Vt manibus in hostem strenuè,
Pedibus in mortis sententiam ægrè iret.
Literas cùm optimè calleret
✠ Neronianæ crudelitatis literaturam ignorauit.
Mitem ei contigisse mortem quis ambigat?
Qui mortem commeritis, sensum mortis ademerat.
Plura si desideras? hostilem appella conscientiam.
Dabit vel Barbarus huic testimonium virtuti:
Et qui odisse poterat vincentis fortunam,
Non carpet Clementiam ignoscentis.

ELOGIVM XV.
MVNIFICO VLADISLAO
In Diuos Hominesq; ac inprimis Deiparam Lauretanam, & Claromontanam.

Princeps Sarmaticæ Libertatis,
In Regno, si quod vspiam libero,
Vltrò sibi necessitatem indixerat:
Ne quid poscentibus non daret.
Hinc præesse & prodesse scienti
Nullus absq; linea fluxit dies;
Ne amissam cum Tito quereretur.
‡ Inter cætera quæ dedit Varsauiæ spectacula,
Illud

✠ Vtinam nescissem literas. Neronis vox. Suet. ‡ In nuptijs cum Cæcilia Renata, sparsa in vulgus pecunia.

Illud vtile & iucundum fuit: missilia auri sparsa.
Cælum Crystallinum moliri Archimedes possit,
Imbres pluere aureos, nisi Ioui Lechico, non datur.
Quid, quòd à suæ Pietatis congiario
Nec Dei Matrem abesse passus est?
‡ Securus Protectionis, quam suis mænibus inclusisset.
Et hic Dauidis æmulus cecinit coram Arca Dei.
Scilicet vocem, præconio Mariæ denegaret?
Cui armatum ibidem brachium deuouisset.
✠ *Aureâ Diui Vladislai statuâ Domum Auream muneratus,*
Probauit Laureti incolis & aduenis:
Se auream quoq; habere, & mentem & manum.

ELOGIVM XVI.

Religiosorum Ordinũ Benefico LARGITORI.

Vt vt sint Regibus longæ manus.
Noster languorem pedum, vsu manuum pensauit.
Quod vulgo instrumentum auaritiæ est,
Is vertit in beneficentiæ supellectilem.
Ingens Poloniæ facta accessio, illò accedente ad solium:
Superis Munificâ manu captis
Municipia in regno commentus est noua.
Planè ad omnia cautus Princeps,
Sceptri Adiutoribus carere ne posset

Adsci-

‡ In Claro Monte. ✠ In æde Lauretana.

Adsciuit imperio, vel belli socios, vel Tutores.
Eatenus quoq; in rem publicam vtilissimus,
Quòd Proceribus Oeconomias
Cælitibus Colonias diuisisset.
Paternæ ac suæ maiestatem Basilicæ aucturus:
Nec magnificentius quidquam, nec se dignius reperit
Patritio CAPITE Sarmatici Tutelaris
STANISLAI KOSTCÆ.
Fortunatum id Felicis Vladislai munus vt credas,
Trium Oraculo Pontificum, ter Beatum norîs.
Dignum Regali Sacrario Honorarium:
Par VLADISLAI beneuolentiæ vadimonium.

Nec mireris

Præ omnibus ei Opificijs arrisisse Tornum;
Vtpote liberalis ingenij Hieroglyphicum:
Hinc, primùm sibi Tornatiles ad beneficia manus fecit.
Deniq; sub vitæ vesperam,
A Torno & à Throno vocatus ad Tribunal,
Opificij & Beneficij fructum cepit
Suæ & nostræ Faber fortunæ.
Discite ex nostro Principes
Non arces duntaxat moliri sed & Aras.
Grande vtrinque momentum ducitur
Ad Orbis & Vrbium munimenta.

ELO-

ELOGIVM XVII.
PACIFICO VLADISLAO.

Regem hunc
Ne quis putaret in otio otiosum,
Marti machinas & noua opera suggerens,
Scripturienti Seculo à se acta dictabat.
Semper victurus in memoria literarum,
Quibus vitam & spiritum afflando
✠ Pestilentem Licinij vocem difflauit.
Ipsa læti laboris exercitia
In vsum Regiæ conferebat quietis.
In Venationibus tam feras, quàm otia persecutus,
Domitiani, muscas domi figentis, ignauiam configebat.
Scilicet ille in Palatio sterteret,
Campestri in Polonia natus ad campum?
Hinc ignotâ Bellatoribus arte
Martis aream, in Encyclopædiam transtulit literariam.
Maturè solerterq; prospectans
Ne acutior esset gladiorum acies quàm ingeniorum;
Angustos Regni limites arbitratus,
Vbi Regnum Sapientiæ, armorum imperio arctaretur.
Debent Literæ, hæc Regi Pacifico Alcyonia.
Amate mansuetiores Musæ, mansuetudinem Vladislai.

Etia-

✠ Literas pestem vocabat Reipub.

Etiamne Scholarum Humanitas non proficeret
Sub Principe, quotquot fuêre, Humanissimo?
Non ante sibi Cæciliam Renatam desponsante,
Quàm renascenti ex se Palladi manum daret.
Habet iam, felicitatis suæ Consortem
Augustus Octauianus Vladislaum IV.
Dignum & hunc fatis visum
Quo imperante, *In pace fieret locus Deo.*

ELOGIVM XVIII.

Rei Literariæ Fauentissimo Regi.

Quando plaudere iam non licet
Plangite Musæ lugubres;
Solis Bellonæ lituis malè parentatur Vladislao.
Eandem Literarum & Armorum Præsidem
Ne fabulas putaret Polonia, ille persuasit,
Mentium ante, dein gentium Triumphator.
Superioribus eo superior Ducibus,
Quòd æquè vincere ac victoriâ vti noßet;
Quorum alterum desiderauimus vel in Magnis.
Et sanè prouidenter
Præcerptas ad Borysthenem & Tyram laureas,
Hippocreneos vatum plantauit ad amnes:
Securus famæ, quam Homericæ commisißet tubæ.

Hacte-

Hactenus Poloni Sapientiæ gratiâ exulandum,
Athenæum domi Vladislaus reſerat, occluſo Iani templo:
Ratus, parùm munitam ferro Poloniam,
Niſi eam & calamis contra inſcitiam armaret.
In Aulæ penetralibus molitus Academiam eſt,
Quò ex ſe loqui & facere condiſcerent
Ad vtramq́; geniti facultatem.
Agnouit ſuas vires Regnatrix Eloquentia,
Poſtquam tantus ei approbator contigit.
Scilicet tot Plinij, ad vitam non redirent?
Vbi in vnico Vladislao tot refloruère Traiani.
Ceciniſſet veriùs Coronato Mæcenati ille:
Nunquam defore Maronis æmulos,
Si adſint æmuli Vladislai.
Tu quòd vel has legis Literas, Vladislao debes.

ELOGIVM XIX.

Mathiæ Caſimiri Sarbieuij è Societate IESV, *in Academia Vilnenſi Theologicam lauream ſuâ præſentiâ & annulo adornat* VLADISLAVS, *1636. 3. Non: Iulij.*

Præliarem Vladislai genium perſpicite:
Cùm Velitationes militum Togatus nollet,
Doctorum ingenia inter ſe commiſit;

Claſsicis ceſſandi ferias, non Claſsibus indulgens.
Nata Cracouiæ ex Iagellone I. Pallas,
Renata eſt Vilnæ.
Ingens Apollini & Gratijs cenſus:
Literati Principis Bona Gratia.
Tam Libertas à vultu Regio,
Quàm artes liberales colorem ducunt.
Illo imperante:
Nec docto eſſe licuit priuatum, nec rudi felicem.
Nunquam plenius Auditorium gratulata ſibi Academia eſt,
Quàm cùm illam tantus Hoſpes implêſſet.
Vbi de Laurea tranſigitur,
Intercedere Vladislaum neceſſe eſt.
Perinde illi de Victorijs, atq; de ingenijs iudicare.
Bene eſt! Fautores alibi Reges,
Hîc Promotores propè habetis, Inauctorandi.
Tunc, ſi quando aliàs, ceßerunt Arma Togatis.
Habeat ad ſuos pedes inſignia Scholarum,
Ad quos nuper Hoſtici Exercitus accidêre.
Erigi tamen deiecta, mox iuſsit,
Vt conſtaret, illo Principe literas non iacere.
Interim vide Vatum feliciſsime Sarbieui,
Cuius annulo Æternitati tranſſcribaris.
Habes niueum calculum hac in gemmâ,

Fidem

‡ Fidem pectoris obſignante non ora.
Arctum ne putes Vladislai annulum,
Quia totius Europæ facilè capacem.
Inſculpantur alibi Principes vni gemmæ,
Noſtro non ſufficit Orbis annulus.
Et adhuc non vinceret Vladislai Theologus,
Rege, ſibi & Sarmatiæ, eodem Præſidente?

ELOGIVM XX.

Exceſſum ê rebus humanis æquanimiter præſtolatur.

Odioſa numina Martem & Mortem
Non ita raro viderat Rex magnanimus,
Vt Enſem & Falcem timeret adhuc:
Illum in poteſtate ſemper habuit, hanc in votis.
Odiße qui poßet Æternitatis oſtiariam,
A qua pridem cælo immißos
Iagellones & Iagellonidas meminißet? S. Caſimir.
Immortales niſi à morte fieri, non contingit.
Adeò nec Vitæ Neciſq; arbitri,
Mortis arbitrio abſoluuntur à pulueris tributo!
Hæc vltima Rerum & Regum linea
Rectà in Summos collineat ac imos.
Ducant volentem fata, nolentem trahant, Seneca, Tra-

‡ Hephæſtioni os annulo obſignat Alex.

Trahendus non erat ſupremum ad Iudicem,
Regum Iuſtiſsimus Vladislaus.
✠ *Illud cum Chriſtianiſsimo commune ſortitus;*
Quòd vterq;
Nullum ſoluerit libentiùs debitum, quàm ſupremum.
Quidni vitam creditori vltrò redderet,
Quam dediſset plurimis, nec rogatus.
Suis tamen moribus imputet ſuos raptus.
Illum Electio Optimum oſtenderat, Tacit.
Talem Superi vt vidêre, inuiderunt.
Optimatum Reſpublica, quæ Dei eſt,
Ex Optimis & Digniſsimis coaleſcit.
Eò magnitudinis proceſserat Regum Maximus,
Vt in Regno, alioqui peramplo,
Habitare ſinè anguſtijs ægrè poſset:
Hinc alium alibi dum quæsîſset Orbem,
Perfectiorem extra terras inuenit Monarchiam.
Cælo promiſsus & præmiſsus ante Pacis Principem eſt.
Sicq; à Regno vocatus ad Regnum,
Et vel natus ad vtrumq; vel Electus,
Non fugit ex Solio in Patriam, ſed diſceſsit,
✠ *Deo è terris apparante diſceſſum.*

ELO-

✠ Ludou. XIII. ✠ In peruigilio Aſcenſionis obijt.

ELOGIVM XXI.

Moritur in Lithuania Anno 1648. 20. Maij.

Pingite cæcam mortem, nimiùm oculati mortales:
Patientes illa magnæ Serenitatis oculos
A regum Majeſtatibus non deflectit.
Pacis ac belli victor DEVS,
Laureatum Principem ſuo aſſeruit comitatui:
Ne Triumphali, abeſſet à curru, Triumphis innutritus.
Supremum in Lithuania diem obit,
Quam Coniugi fatalem timuit, ſibi habuit.
Ad curſum immortalitatis Lithuano vſus Equite,
Metam tenuit Olympionices, prehendit palmam.
Eheu inſalubres Vladislao ferias Maij,
Inſcriptos nomina Regum, demetentis flores.

ELOGIVM XXII.

Comploratio publica in Regalibus Exequijs.

Præficas huic funeri fruſtra conducat Polonia:
Emptis lacrymis verus non expletur dolor.
Malè reſpondet mærori domeſtico, accerſitus.
Exercitatæ Regni infortunijs Prouinciæ,
Eruditos flendi vſu gerunt oculos;
Ne quid conductitijs debeamus lamentis

Parentalium in symbolam lacrymarum.
Simplex & vna plorandi necessitas,
Compositos fucatè non admittit planctus.
Cum Patre Patriæ, tantùm non extulimus & Matrem;
Eò similiorem Regi exanimo
Quò viuo cadaueri propriorem.
Instauret sibi superstiti Iusta Carolus:
Veras nimiùm lacrymas Polonorum,
Imaginaria non exhaurit comploratio.
Heu redeuntium in se fatorum orbem!
Nec nasci potuit absq; ignibus, nec mori Vladislaus;
Illo proximè nascituro arsit Regia, extincto Regnum.
Agite Proceres
* *Vnctum Domini* melle oblini prohibete;
Apage morem Persicum à Polonico:
Durat hodieq; famæ integer Vladislaus;
Cum Cælo, & ingenijs olim paciscens,
Ne apud Superos & Historicos moreretur.
Intelligo iam
scriptores accipere vitam à Principe, & dare posse.

ELOGIVM XXIII.

Dissertatio Moralis ad tumulum VLADISLAI, cuius de obitu variè à varijs disceptatum.

Quid

* Alexandri M. melle perunctum cadauer.

Quid Tu hìc ſuſurras viator?
Vias Domini ſi obieris curioſiùs,
Errabis toto cælo & ſolo.
Inueſtigabiles veſtigare fas non eſt.
Vel Sarmaticæ *Viam Aquilæ* quis nouit?
Si virtutis amicus es,
Ab vtroq; te reuoca extremo.
Nullum hoc perplexius biuio, quod teris.
Porrò ſi pergis improbus, hàc vade, & audi:
Succenſere fatis, nec meum, nec tuum eſt.
Sic hoſtibus indignare, vt Superos ne accuſes.
Habent ſuos irata Sidera Orionas.
* Armatum è nube brachium videras, modò ſentis.
Ignis & gladius, duo læſi Numinis phœnomena.
Caſum Patriæ non euentibus metire, ſed cauſis;
Quarum aliquam intra te fortaſſe reperies.
Minor futura erat Vladislai ruina,
Niſi ad omnes pertigiſſet, oppreſsiſſet multos.
Tam arctè illi inhæſerat Patria
Vt idem sortis telum confoderit vtrumq;.
Vnum funus amborum, & vnius, plange:
Et ſi nondum corrupiſti riſu lachrymas,
Affunde his cineribus, & inſcribe:
CVM POPVLO IACET HIC, & ipſo
CVM REGE REGNVM!

Sic

* Nieſuisij 1, Nouemb, 1648. Et alibi.

Sic, Triumphalem hactenus ad Pœana sueti
Vocem frangimus in nænias,
Lacrymas spargimus in vectigal.
Omnium Parens Ordinum, omnes damnauit ad luctum.
Orbe aliquantùm dubio: An mori potuerit,
Qui plenis animæ, rerum gestis,
Æra & marmora animauit?
Caue Tu carpseris Regale Pomum,
Ne & Tibi vetita, creet aliquid mali, malus.
Manum qui abstinueras à throno, vrnam ne tetigeris.

ELOGIVM XXIV.
VLADISLAI Mors piè & Catholicè obita.

Ne comūnibus excederet fatis VLADISLAVS,
Prodromus tot malorum præiuit Cometes,
A Borysthene ciuilis belli emersit fax,
In falcem Scythicam exarsura.
Audaces in scelus Rebellium animæ,
Solam Inuicti Regis hactenus morabantur dexteram,
Tantæ reuerentiâ Fortitudinis infrenati:
At superesse diutiùs VLADISLAO non licuit:
Ex quo, amissâ in Coniuge dimidium Animæ,
Cor in prærepto Filio amisisset.
Hîc demùm, in Reipublicæ commoda clausit oculos.

Vbi

Vbi alijs desierat esse in specula, sibi cœpit;
Vt, quàm olim prouidè Salutem Ciuium,
Tam anxiè & ritè procuraret suam.
Inter Regni & Mortis articulos quid intercederet,
Ipsa inter vtriusq; discrimina perdidicerat;
Cùm, non Regem se magis, quàm Hominem meminisset.
Vitam Principis, perpetuam esse censuram,
Vel in supremis vitæ, sui Censor, testatus est.
Immensum Gloriæ curriculum, se emensurum diffisus,
Nisi, comite iisdem passibus Pœnitentiâ,
Metas, citra noxæ obicem, tenuisset.
Dein facturus de summa rei periculum,
‡ Contra Vmbrarum Principem non profanis ignibus
Pœno feliciùs dimicauit in arcto. Annibale.
Donec decretoriâ Martis & mortis acie,
✠ *Hoste, ipsis* portæ in angustijs *presso oppressoq;,*
Hastæ & famæ incumbens non occumbens,
Finem vincendi, non viuendi fecit.
Operum quæ gessit, quæq; meditatus est,
Alia in Europæ *oculis posuit,*
Alia Rationario Æternitatis inserenda liquit.
Tu quisquis hîc ades:

NODVM IN SCIRPO REGIO

NE *QVÆRE, ET ABI.*

‡ Sacro cereo. ✠ Angusta porta est quæ ducit ad vitam Matth. 7.

APOSTROPHE

AD SERENISSIMVM ET POTENTISSIMVM

IOANNEM CASIMIRVM
POLONIÆ SVECIÆQVE REGEM.



Mperatam animis & oculis lugendi necessitatem, vtcunq; executi in Exequijs, nondum integrè peregimus Funus nostrum. Et verò, arcanum in præcordijs tormentum, diu cogeremur sentire; nisi magnum dolorem, compar gaudium, Te loquor Serenissime REX CASIMIRE, Teq; CAROLE, (non omninò absentem hinc) absorberet. Sed cur continuam tanti Principis Gloriam, non perpetuâ Panegyri, sed truncatis in Elogia sensibus, concidere potiùs quàm referre videmur? Debemus inuentum id Regum solertissimo VLADISLAO. Prima illi semper cura, hostes distrahere, coniunctionem armorum impedire, sensimq; in partibus atterere belli molem. Cepit Sehini Castra, at priùs stationes; domuit nationum copias, at robore priùs paulatim in montibus adempto Vt nec illum septem annorum apparatum, nec machinas occidentalium euersurus videretur, si vnam in aciem, totum exercitum eduxisset. Laconicâ pænè, domi & militiæ vsus celeritate, vicisse audiebat priùs, quàm pugnâsse. Osmanum solâ Maiestate ad desperationem compulit; ad deditionem Moschum, solo propè aduentu; Amurathem ad

fædus

fædus, ipsâ famâ: vt & fortunam Cæsaris feliciùs habuerit, & consilium. At enim (*ò nulla longi temporis felicitas!*) quibus olim artibus Moschos fregerat, ijsdem circumuētus à morbo est. Non ex facili ille, tantum confecisset Heroëm, nisi per membra lentè aggressus fuisset languētem. Hoc erat igitur in causa, Regum Serenissime, cur hæc quatuor supra viginti, nō tam Elogia, quàm totidem lugubris Horarij emortuales duceremus lineas, à Te Sole altero, vbi aspexeris, illustrandas.



PRIMVM TRIBVTVM
REI LITERARIÆ
SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
IOANNI CASIMIRO
POLONORVM SVECORVMQVE REGI
In primo Auspicatoq; ad Coronam aditu,
A Cracouień: Societatis IESV Collegio
Religiosè Persolutum. Anno Regis Regum MDC. XLIX.

I. C.



R. P.

Sģ. H.

Maiestas Imperij, Salutis est tutela.
Curtius.

SE-

SERENISSIME ac POTENTISSIME REX



Nauguratæ Maiestatis Tuæ fortunatum diem Rex Auspicatissime, Tuumné potiùs, an nostrum vocaremus, nondum conclusimus. Facit nimirum hæc ipsa gaudij quam imperas magnitudo, vt occupati Regalis Gloriæ contemplatione, minùs ad singula priuatæ sortis commoda attendamus. Processum lætitiæ principalis, aliter quàm ex Tuis successibus moderari nescimus, at nec volumus: parum soliciti, quid è bono publico potissimum eligatur, Te Electo & Vncto. Latè sparsa Rei Publicæ & Literariæ studia, in Te, velut in Compendio Votorum omnium, recognoscimus. An enim extra IOANNEM CASIMIRVM (hoc est Gratiæ & Fortunæ magna nomina) summam prosperitatis quæreremus? qui vnus cunctorum desideria Coronatus expleuisti; cùm multò ante Regiarum virtutum numeros implêsses. Tantæ pectorum vastitati non quantalibet amplitudo sufficeret. Dissoluti Fortunæ orbes, nisi CASIMIRIANA, immò Cælestium compacti manu, coalescere vix possent. Eò calamitatis ventum erat, vt orba ancepsq; Patria, vel cælo deuocandum Principem, si liceret, putaret. Cùm ecce humano maior consilio, ostensus decretusq; es Pater Patriæ, vindex Sacrorum, Libertatis Assertor, denique nouus antiquæ felicitatis Instaurator. Peruulgata hominum sermonibus retracto, non exoticus narrator. Dissimulare qui possim, quæ in medio posita cernuntur? ASSVMPTVM Te diuinitùs, non ora duntaxat, sed & æra in commune spar-

salo-

sa loquuntur! Aptiora Delecto Coronatoq; Fasci Tuo Symbola nondum legimus. Deleat Roma Imperatorijs è nummis ambitiosa lemmata: hîc nata apud Superos, operosam Dei in Reges prouidentiam commostrant. Quin illis ipsis clauibus reseratam tunc à Te Pacis Curiam non temerè creditum, quando omen prosperum in candida accepimus Columba, Tuis præuolante, quà Auspicijs, quà oleis. Vnam Augusti è columbis dicerem, nisi quod illæ sceptro insedißent, hæc ad Tuum propè solium adsederit. Excepit confestim pacis nuntiam alitem, fausta populi admurmuratio; donec se interea explicent spes nostræ, eodem Te interprete quò Auctore. Nec me terret Tecti Regij flamma illa, quam ægrè nobis persuadebamus, non Triumphalem fuiße. Ostenta ignium (si tota excutiatur antiquitas) nisi magnificum quidpiam non portendunt. Præceßit pridie VLADISLAI natalem; Te in lucem Solij eductum, secutus postridie ostendit ignis. Age tamen Principum Literatißime, iuratam Tuis Fascibus fidem vrbium dum admittis, primum ciuilis Eloquentiæ Vectigal à Religiosa prōptum Pallade, oculis & manu alterâ dignare.

Respirate Lechi: spirat pro Castore Pollux,
Fraternasq; vices reparat meliore metallo.
Fatalis procul Annus eat, procul arma Gradiui:
PACE Coronatum CASIMIRVS inaugurat Annum.
Exsoluit Spes nostra fidem. Stitit ante ruinam
Imperij, prensare sacras quàm cæpit habenas.
Ille rebellantûm cuneos, & mobile vulgus

Compeſcet lictore metu. Dabit Omina Nomen,
Aut faciet virtute pari. Plerumq; ſub iſtis
Nominibus Fortuna latet. Propè raptus ab aris
✠ PRIMVS, anhelantes animis Seruilibus iras
Extudit, & dominâ pro Libertate, mucrones
Plebeijs tinxit iugulis. Cognomina Magno,
Sub iuga quos miſit, Ruſsi pepêrere Tyranni.
TERTIVS Auſpicijs, patrio IAGELONIS & Ortu
Conſpicuus, reſpondit Auis, tenuemque refellit
Grandibus inuidiam factis: ex aſſe relinquens
Pulchra Iagelonicis Exempla Nepotibus Auctor.
Et Lechicus CASIMIRE Tibi dum traditur Orbis
Non longè cecidit Iagelonis ab arbore Pomum.



FAtis hactenus interruptam felicitatem continuare nobis veriùs, quàm ordiri videmur, CASIMIRE Coronatorum Sereniſſime; cùm Te Solio illatum cernimus, Tibi antè, quàm populis imperantem. Attuliſti ad noua gubernacula veterem VLADISLAI IV. Fortunam, Animum, Poteſtatem: ne plus in Te Fraterni Sanguinis, quàm gloriæ, ſuperſtes adoraret Fama. Tria illa deſiderare Orbis potuit, niſi tam felici compendio, vnus omnia collegiſſes. Credimus iam, & nobis *Occidere Soles & redire poſſe*; vbi à VLADISLAI occaſu, Orientem CASIMIRVM Cælo patrio ſuccedere certatim gratulamur. Succenſere vix poſſumus, fatorum inclementiæ, Fratrem Tibi, Patrem Patriæ, hoc eſt Te vtriq; non ita præripientium, vt non redderent. Viuis adhuc animoſiſſime Principum VLADISLAE, & viuis tantò minùs mortalitati obnoxius, quòd in animo, & vultu nihil niſi Magnum, quia Te ſpirantis CA-

✠ Caſimirus I.

SIMIRI. Agnoſco aureæ Libertatis tutelarem manum, ferro, neſcias an ſceptro magis natam. Suſpicio magni Victoris verticem Coronatũ: cui citra ſuccumbẽdi periculũ graue tot laureis, tot meritis incumbit diadema. Diu quidem parturijt Parens & altrix Regum, Regina Libertas, vt ſemel pareret Heroëm, cui non minùs naſci talem, quàm fieri, pulchrum eſſet. Spei tamen publicæ afflata præſagio, torqueri diutiùs haud potuit, quin prægeſtiret gaudio: quòd Tu potiſſimùm interfuiſſes tunc votorum & animorum Comitijs, pro quo illic ſuperi facerent, hîc Nationum perorarent Legati. Tantùm ipſa Tui cogitatio, apud languentem Patriam, ne ægreſceret, effecit! Singulare id Principis noſtri priuilegium, cui ad ſuffragia dignitatis, præter Diuos homineſq; etiam Natalium ordo, & anni calculum adiecêre: vt pronum fuerit coniectari, qualem quantumq; eſſe oporteret, quem intento velut digito, ætas maiorem oſtendit, dignum Proceres legerunt, virtus renuntiauit Electum. Nunc primùm intelligo, non in Diuinis tantùm Nominibus Originem Prioris, ſed & in Regum Electionibus, attendi, & plurimùm valere ad momentum Honoris. Ambo Regij Sanguinis & gloriæ ex aſſe heredes, magnis ad iuuandum Patriam itineribus contenderant Principes: at multum intererat, vter priùs quaſi è Cœlo opem laturus videretur. Experiri Te igitur (vtramq; ſatis expertum) fortuna incipiat Auſpicatiſſime CASIMIRE, an cum Paludamento Auguſti Præceſſoris, regnandi quoq; artes acceperis. Bellorum ille Te & Victoriarum Socium olim adſciuerat; nunc Imperij Succeſſorem, velut prehensâ manu, in Regiam deducit: ne longiùs orbitatis noſtræ ſentiamus incommoda. Eſt hæc videlicet bonorum Principum cõditio, vt cæpti ſemel beneficij curſum, ne obitu quidem ſuo abrumpi ferant; eò propiores diuinitati, quòd extra merendi ſortem poſiti, tamen de Ciuibus optimè mereri non deſiſtant. Quaſi terrenæ concretionis ergaſtulo ſoluti, in morem tranſi-

erint

erint Cæleſtis Machinæ, ſtare vtiq; neſcientis, quin Vniuerſi commodo ad beneficentiam rapiatur. Debes hanc poſthumo Fratris Honori operam, & Tuæ acceſſionem gloriæ, bono Sarmatiæ Inaugurate Rex, vt pacatis Regni prouincijs, reuocato Patriæ ſpiritu, Ciuibus vrbi & ſibi redditis, vlturus Dei & Regni cauſam, efferaſcentem in Regno Libertatis Seruitutem ſub iugum cogas. Placari aliter Pacifici VLADISLAI Manes, niſi cæſis totidem hoſtijs, quot pacis hoſtibus, non poſſunt. Habes ſub oculis, iræ vindicis nobile irritamentum, interſciſſam ſeruili ferro Pacis Togam, ne ad te integra perueniret. Licebit CONSTANTIA nato, quod Rixæ olim Filio, tumultuanti Regno Pacem parere. Et verò cogitanti mihi, atrox Miecislai, (hîc ſi vſpiam ſolo ordine, Secundi) Interregnum, occurrunt omnia ciuilibus bellis feſſa, rebellandi initia, palàm obnitentiũ Seruorũ conſpiratio, ſera deniq, Polonorum pænitentia, tantùm non extra ſolem quæritantium Principẽ CASIMIRVM. Quaſi maior oborta eſſet regni procella, quàm vt cuiuſquã, extra Caſimirũ, cõſilio ſopiri obruiq; poſſet. Quieturũ non antè putabatur fœderatæ Seruitutis vulgus turbidũ; donec à ſui regno, ad regnũ aliud, ab vmbra ad ſolium, à Toga ad Sagũ & Purpurã hoſtico bis tinctam ſanguine, cõpelleretur CASIMIRVS. Nimirum magnum exemplum niſi magna calamitas non inuenit. Ingens quidem Traiani ſeculo & noſtro contumelia, ingens Reipublicæ vulnus inflictum eſt: Pater Patriæ fato ereptus, deleta Caſtra, obſeſſi, capti, incluſi Duces; ereptum Nobilitati illud in Libertate feliciſſimũ, quòd nullius arbitrio mancipentur. Aperta heu in campos Polonia, nunquam latiùs in in cladẽ patuit! Et illis gloriæ noualibus, non plus laurearum, quàm feralis cupreſſi, cinerumq; debuimus; etiamnum dubij, an prouenire tanta ærumnarum ſeges potuerit ſolo toties triumphali! Omnino Chmielicenſis fortunæ plus quàm imaginem, ſimillimo exitu, ſeri adumbrauimus nepotes. Quæ fuit illa cæſi Exercitûs cruenta inundatio! vt Boleslao alioqui Pudico ruborem adderet;
quan-

quantùmq; in animo pudoris, tantùm sanguinis in vultu patriæ eliceret. Si tamen eò collineantium intererat fatorum, Fortunatissime CASIMIRE, vt ad Te summa publicæ salutis deferretur: quidni gratulanti similior, fatisq; ignoscenti, erũpam in vocem & plausum? Desciuêre à Principis obsequio Prouinciæ rebellantis Russiæ, vt Tu animaduersor contingeres. Extulêre caput seruilis insolentiæ fæderati Cætus, vt Tu vltor ferro intercederes, immò vt ferrum abesset, solo Tui Nominis terrore, prætumidos agrestium spiritus edomares; difflaresq; pestem illã plebeiæ contagionis, ne posthac grassaretur impunè. Nondum Te festiui gratulantium machinarum fragores Electum nuntiauerant; cùm felici anteoccupatione, in mores & genium, fortunam quoq; Casimirianorum prouocarêre; nec priùs Tuum parietibus aut vexillis Nomen, vt Vespasiani, sed animis & iudicijs Procerũ legeretur inscriptum. Viderant hoc videlicet è proximo coniectores lyncei, quibus in summo posita aspernantibus, non modò in abdita, sed in futura quoq; rimari solenne est. Nec erat cur se errori obnoxios timerent, Cælo ad Imperij tui fasces præferente facem; immò Te Tibi (antequam ires pedibus) præeunte meritis ad Coronam. Facit magnæ calamitatis propinquitas, quâ ad prima illa Regum tempora acti retrò accessimus; vt nisi ex vtriusq; Principis Maioribus & prosapiâ, discrimen tenue animaduerterẽ, interesse me priscis CASIMIRI I. & nominibus & cladibus identidem arbitrarer. Non iam ex fide annalium, sed experientis Poloniæ sensu percipimus: *In rebus humanis Secula & personas interire, causas & euenta eadem recurrere.* Quod ipsum, quantos non ex dubio ominantium animos, ad inaugurationis Tuæ, hoc est publicæ felicitatis erexit auspicia; non meâ id voce, sed communi Ordinum assensione comprobatur. Ac sanè pertinebat ad sortem CASIMIRI, vt nec insignia Principatûs Tui deberes Fortunæ, nec tam immaturus olim Sceptro, quàm præsenti rerum scenæ seruatus vide-

rêre. Exercuisse te inter cunarum fascias ad Regnum & Trabeam natura voluerat, cùm peraugusto Iagellonidum sanguine censuisset; Parentem in Filio, jam inde agnouit Patria, cùm ad conseruandam animum adiecisses. Felicem Te, si solum inaugurationis Tuæ tempus; gloriosum, si causas etiam perpendimus. Humanior procul dubio inter homines DEVS HOMO, postquam in Te diuinitatis transfudisset ius, purpuram insuper de sua tinctam addidit, ne non nouam nouo Imperio afferres. Nullus deinceps à tempestatibus metus, quia ad ipsum regni Tui Orientem Sol oriens irrubuit, quasi decretæ jam Serenitatis Tuæ rogationi, pio subscribendum sanguine putaret. Ab eo Tu sole in solium secundo euadis omine, nã diuino! Æmulaturus celeritate gloriæ, solis cursum. Ille ad tollendam velut hyemis tyrannidem reuertitur, Tu ad amoliendam Prouinciarum vastitatem, & sananda Reipublicæ vulnera accurris. Itaq; simul Dei ab ipsius incunabulis, simul à Solis reditu solarem, simul tuum à festa Regalis cerimoniæ luce auspicamur annum, primum vtiq; à fatali. Abolere demùm fastos calamitatum incipimus sub ipsam Tuæ Maiestatis auroram. Augustior Tu nobis Octauio eoq; secundior, non profanas, quod ille, Iani ferias aut inuenis, aut facis; Tui Nominis reuerentiâ, clausis Ianum postibus iubente feriari vt mirum videri non debeat, si & Princeps Mensium, ad primas Coronati Honoris aras, efflorescentis anni primitias deducit, ac dedicat. Accurrit, immò saucia adrepit Respublica, interque festiua tripudiantium acroamata, aurum & ferrum Tuis vel deponit vel desponsat in manibus, eò vsque ferreos ex more lugubrium gestatura annulos, donec ferrei orbem seculi in aureum diffingas: sed eo vtrinque temperamento, vt suum quoque non absit ferro pretium, sine quo ne Aurum quidem satis tutum. Intercessisti fatis alternantibus Regnator Serenissime, diuque atratam Poloniam, primo oborti splendoris radio serenasti, vt incertum feceris: Plusnè vmbrarum

rum orbati acceperimus ab vnius occasu, an lucis ab alterius exortu? Macte his gloriæ primordijs, Regum Optatissime, metu incolas, vrbes obsidione, soluisti; vt priùs Patriā curis, ingentibus coronaueris, quàm galeâ pressū caput submiseris Coronæ. Ita & victorem triumphalibus, & Vindicem Ciuicis, & propugnatorem muralibus, Principem denique regali profitemur laureâ, de Tuo ampliùs Coronatū, quàm nostro. At quibus consilijs, boni Cælites, duo Martis & Mortis numina, nostris intenta ceruicibus vel amolitus est vel infregit? Victoriam prius mirer an modum victoriæ? vt non venerit, vt non viderit, cum Cæsare: voluisse, vicisse CASIMIRO fuerat, planè ex vsu VLADISLAI & suo. Vt absint præsidia & arces, absint vrbium munimenta, solo Tui pectoris propugnaculo tuti sumus. Biceps meritò Ianuarius commune Deo & Tibi vocabulum Seruatoris indidit, vt diuiso feliciùs imperio, orbem ille terrarum, Tu Poloniam, seruares. Vitæ & mortis arbiter accessurus proximè ad Numinis potestatem, illius & exordia æmulatus es. Quippe ille cùm terris primùm affulsisset, pacem attulit, Tu, cùm Regno. Enim verò vt agrorum vbertatem sterilitas, serenitatem turbines, ac procellæ commendant, ita luculentiùs Tui nominis gloria illis bellorū tumultibus inclarescit. Hoc in dotem, mortalium accepit conditio, *vt Aduersa ex secūdis, ex aduersis secūda nascātur,* * Vtrorumque sementem occultante Deo. Incrementa hæc immortalitatis Tibi fuêre, non præcipitia virtutis. Atq; vt Herculi terrarum monstra, ita Tibi turbulentorum obices, in arduum gloriæ, magnis passibus connitenti, vel strauêre viā, vel monstrauêre. Tuo hîc Principi CASIMIRE Sarbieui accinuisses: *Non tota vitæ, tota tamen Tuæ est, Immensa tellus Gloria Patria,* vel eo prærogatiuæ merito, quòd ciuilis odij faces in limine occupatas extinxerit, hostem successu & prædâ ferocem, tanquam objecto Caduceo pacauerit; dum se interim rediens

I 2 in præ-

* *Plin: Secund:*

in præcordia virtus Poloniæ circumſpiceret. Sic proſperâ feſtinatione illo felicior Cunctatore, hoſtẽ oppreſſit priùs quàm premeret. Abijſſe in morem fulminum videri poſſis, quum ſolo vocis Imperatoriæ tonitru perculſis hoſtibus iras & arma extorques, antequam id agere ſentiaris. Ne non virtutis aut fortunæ Magnorum eſſet, ante claſſica pugnare, ante pugnam vincere, ante victoriam triumphare. Quantus barbaris à vultu metus? ſi adorant virtutem, quam de facie vix nouerunt: metuunt necdum experti, tantùmque Te inermem adhuc ſuſpiciunt, quantùm armatos aliàs contempſiſſent. Hæc Tibi apud hoſtes veneratio, quid apud Ciues? inueniſti arduũ in animorum penetralia iter, quò non niſi ex diuturno collectæ benignitati pertingere liceret. Regem te priùs ſenſêre Ciues, quàm renuntiarẽt, arcanæ poteſtati Tuæ iam tunc ſubiecti, cùm vnanimem omnium in Te conſenſionem, Te vno reclamante imperares. Patuit expedita ad honorem via, cui virtus & natura nihil eſſe inuium voluêre. Succeſſionis negotium illis ferè arduum, qui cùm præeſſe tantùm non prodeſſe norînt, curas omnes à Republica transferunt ad priuatam. At Tu Regum prouidentiſſime, delatam gentis liberæ tutelam, ſed eo nomine admiſiſti, vt votis gentium, Poloniæ deſiderijs obſecundares: certus vtique, hanc Tui electionem, eligentibus vtilem, Electo tantùm pulchram eſſe. Miramur faciles aditus, admiſſionum frequentiam, reſponſa Clemẽtiæ, in ſumma poteſtate modum! Quid enim egiſſe Te ad Ædem Lauretanæ Fortunæ Tuæ putem aliud? quàm vt intra Mariani adyta Sacrarij, Humaniſſimæ facilitatis jura perdiſceres, Deo iſthic congenitã ſibi Humanitatem profitente. Et adhuc Numinis magiſterio, in tantum quà Hominem, quà Regem non proficeres? à conclaui diuinitatis, ad clauum Imperij gradum facturus? His Tu deinde inſtitutis (ne quid Stagiritæ deberes) Magno inſtructior Alexandro, Tuorum deſideria explêſti, Rex in paucis Sapientiſſime: id perpetuò Superis,

peris agentibus, ne tardiùs Tibi promissa exsoluerent, jamq; olim Máiestati Tuæ sancitos, sanctosque ad extremùm referrent Fasces. Summa hæc nobis, Tibi rudimenta ad gloriam. Facessant arioli, qui siderum consilia, & cælestis adeò scrutati decreta Senatûs, eleganti impostura spem magnò licitantes, fatua mortalibus fata pollicentur; dumq; astrorum dominio nihil non mancipant, humanæ jugum inducunt libertati. Cùm enim ad Serenissima Tui Ortûs Jncunabula, tot Regiæ indolis concurrissent auspicia, ecquid nobis, quid Reipublicæ, quid Orbi terrarum, sepositis diuinantium ambagibus polliceri potuimus, vel quid non potuimus? Suâ se produnt magnitudine origines Magnorum. Quod Soli planetarum principi, hoc & nostro licet: primæ serenitatis internuntium radium, quò pertingere ipse necdū possit, præmittit. Nusquā non ad metas, certa collineat natura. Quò magis ex magnifico ducēdis incūbit opificijs, eò plures fatigat operas, artes expedit, formam Operi de sua libens impertit. Inde tot, sub Heròúm Natales parta prodigia, tot futuræ indolis argumenta, vt famæ priùs, quàm vitæ hereditatē ineant, adeoq; sine præuio comete, nec ad sepulchrum deducantur. Prodit Lepidos inducta oculo membrana, quid eis cum sole commercij futurum sit. Loquitur magnæ spei Seleucum anchora, Lunam Arcades genitos ante Lunam, signata alios brachia, alios index animi vultus, corporis alios lineamenta commendârunt. Substituat risum lacrymis intempestiuè ridiculus Rex ille; plus est: vniuersam Tibi, primis ingredienti terram passibus, nouo arrisisse Vere Sarmatiam. * Efflorescit in ipso Regalis infantiæ exordio Ver purpureum, quod dum taciti contemplamur, illico nos in auguria excitari sentimus. Præsaga cōprecanti Patriæ insedit mens: adesse Principem, qui prætextæ insignibus euolutus, solo tempore superioribus Casimiris, Magni cognomenta vel adimat, vel diminuat, ne propria illius seculi habeantur. Malè id ego prætermiserim, quod tam an-

*Natus verno tempore

xiè, genialis prosperitas præmisisset. Implêsti jam indè Poloniam magnitudine gloriæ, vnde cunas vix posses. Atq; vt cælestes Animi nullam didicêre virtutem, geniti cum virtute: Tu Diuûm generi Congener, ea quæ minoribus traduntur animis, festinato naturæ ingenio præuertisti, cui non virtutem solùm ex Parente, sed & fortunæ morem, ac instituta ediscere præclarum fuit. Quid enim *Externi Monitoris egeret*, qui domestico ad virtutem rudimento inter purpuras adoleuit,

Mentis pudicæ candor, & indoles
Firmata Regum sub penetralibus, Sarb.
Cultusq; Diuinæ Parentis
Fixa locans monumenta terris.

Vestram hîc appello fidem Augusti, Diuorum Parentum Manes: Vos humanâ altiorem CASIMIRI ne tum quidem nisi Magni indolem, penitiùs inspexistis. Vos fascibus & liberi populi suffragatione dignissimum prodidistis, vt non jura solùm dare, Regibus, verùm & diuinare vobis ex munere liceret. Hæc illa sunt purpuratæ veritatis de Te effata, securo de minorum gentium judicijs, qui SIGISMVNDO III. & CONSTANTIÆ probatus sis: vnicè gratulatis humano generi, alterum sibi Timoleontem diuinitùs cõmodari, cuius ceruicibus & salute, nutans quandoq; Imperium inniti, ruens propemodum sisti humero, atque incumbere tutò possit. Quo interim fato Patriæ factum dicam, vt Regibus vltra Platonis desideria sapientibus, præsensiones quoque infelicium temporum, vaticinãtibus respondeât. Per damna & calamitates publicas (quod Tibi peracerbum) tamen eundum ô Princeps ad Reipublicæ repræsentandam salutem. Fuerit *Magna Felicitas, felicitate dignum videri*, maior calamitosis etiam temporibus, felicem non videri, & esse. Mutuetur à Sole nomen Cyrus, Scipio à fulmine, Tamerlanus dici malit flagellum: exambiat Adrianus prænomen Docti, Nerua Boni, Traianus Optimi, Commodus Herculis, Flauius arroget Bellatoris. Inuolent in Deorum fami-

familias, hominum superbissimi; vno illo execrandæ ambitionis fructu, quòd vltra belluas efferati, esse homines desijssent. Tibi vel à nomine, Principum Gratiosissimo, primùm obtigit beneficium nasci CONSTANTIÂ; proximum: Gratiæ titulos occupare in prænomine IOANNIS; quò iam tum, ius genethliacum caperes ad priuilegia Gratiarum. Spirare vixdum cæperas, cùm ad summos capitum apices adspirasti; experturus, an posses ad staturam assurgere, quâ MAIOR INTER NATOS NON SVRREXIT. Alieni Heres Nominis, iuxtà & virtutis, tametsi *Onerosum esset bono succedere*, Optimis & Maximis, nascendi ordine successisti. Dabis quam soles clementer veniã Rex Indulgentissime, ad prima Tuarum Olympia cunarum anhelæ Orationi. Quis enim vel citatissimo dictionis cursu, pernicitatem Tuæ indolis assequatur? Proximam Tu meridianæ lucem, in primo auroræ crepusculo, togam in prætexta, seniũ in infantiâ decurristi! Erudiebâre in spem generis & Patriæ, eodem Arbitro & Parente. Capax æquè ac retinens Honesti animus, maioribus ad ardua quæque stimulis vrgebatur. Meminisses eâ Te lege natum, vt Regiæ sortis decora, velut iniectâ manu, immortalitati porrigeres. Quæ tum erat expectatio? quæ altricis Regiæ spes? dum præmaturâ morum canicie annos præuerteres; nec fortunæ Tuorum nec generis esse ratus: emicãtes ad sũma Spiritus, ludicro puerilis arenæ exercitio addicere. Nôras Te Regiæ stirpis Volucrem, ad dispensanda Iouis & Regis fulmina prognatam. Eapropter militaribus insuescere disciplinis, interesse hastiludijs, cohortes sub signa ducere, dare classicum, confligere, non solenne Tibi, sed quotidianũ pænè fuisse cõpertũ est. Habet Martialis pueritiæ æmulum Austriacus in Te altero videlicet IOANNE. Donec imaginario Marte posthac in serium desinente, ardor ille bellicus Moschouiticis Hybernis restinguendus esset. Quid tunc optaueras, immò quid non egeras, vt secura aliquando Patria, Tui capitis periculo tegi posset. Hinc, ominantium læta quæq;, voces:
paten-

Patentiorem virtuti Tuæ campum quære, Tua Te Polonia non capit. Consocietur Ferdinandi Imperatorijs Aquilis Ales Regius. Spectet aula Cæsaris, inesse & huic oculos, magnæ lucis capaces, nec ad totius Hispaniæ Serenitatem remittendos. Frequens & illi cum Sole contubernium, inter congenitos tot luminum fulgores educato. Refugiant Maiestates publicas, qui suis concolores tenebris, tecto ac parietibus inclusi, exclusêre mundi oculum, quò liberiùs in Solem peccarent. Quid ego extemporale in subitis ingenium? in responsis argutias, in arduis animum, Clementiam in offensis, ardorem literarium commoueam? cauentis in Purpura, ne quis metæ Palladis propior emineret. Ita sparsâ vbique maiestate, præsés omnibus instabat exstabatque studijs; vt singularis in singulis, Oratoribus nō modò res, sed & aures arbitras adferre potuisset. Age interim, qui in reliqua ætate Procerum plausus? cum illi quidem obsequijs Tuam propitiarent gratiam, Tu beneficijs vt eorum vinceres officia, contendisti; vt qui cæteris in rebus moderatissimus audires, hîc Tuæ modum indulgentiæ non teneres. Nec propterea, quòd *Oculus animum eminentem Suiq. largam* priuilegio accepisses, immodicè profusas Macedonici largitiones ad censum Tuæ Beneficentiæ admisisti, quia corrumpendis non obligandis animis aptiores. Insincerus fauor est, qui donis emitur. Nihil verò tam liberale tamq; regium est, hoc est Tuo consentaneum ingenio, quàm opem ferre supplicibus, depressos erigere, bene meritos fauoribus dignari, comitate pellicere, ad omnem denique, seu ornandæ seu tuendæ Reipublicæ fortunam præstò esse. His Tu artibus Rempublicam, his egregios quosque innocentibus præstigijs deuinxisti, his VLADISLAO suppar, grande ad Imperia commerueras olim suffragium, si duos Regnum Principes pati posset.

Verùm ô quæ ista moderatio, quod in Fratrem pietatis certamen! Cujus enim id erat exempli, suffragantium si-

um ſibi Ordinum calculos propè è ſinu Honoris repellere, inclinata multorum in ſe ſtudia, aliò rapere, vota ad alium trãsferre, circulis intercedere? Poteras Tu quidem Fratris gratiâ, egiſſe aliquid gloriosius, nihil diſertiùs, quàm cùm illam baſilicè loquentem Suadam, Fraternæ in rem gloriæ contuliſſes. Vnquamnè Tibi Principum Eloquentiſſime, Libertas ipſa alacriùs animis atque auribus aſſurrexerat læta vnicè, Te Vladislai partibus adſtipulatũ, finẽ ſubitò comitijs feciſſe, cui tã prõptum erat, facundiam pro eligendis Regibus, quàm ferrum in hoſtes vibrare expeditum. Ita magnanimitatis Tuæ fuit, ſceptri honore abſtinere, cedere Vladislao, reuerentiæ, rerum potiri aliquando, pietatis. Neq; enim perſuaſiſſemus Tibi imperium, niſi ſeruandum fuiſſet, vt periclitari priùs Rempublicam neceſſe fuerit, antequam Tuæ vi modeſtiæ vinceretur, cui expugnandæ ſola patriæ ſuffecit incolumitas: huic ſuccubuiſti, ne caderet.

Ecquid autem tot grauiſſimis legationibus, bono patriæ, & legionibus de Tuo conſcriptis voluiſſe? quid præſente in bellis fortitudine, munificentiâ in publicum ſpectâſſe Te crediderim? quàm vt laborum in Societatem Te aſſumpto, parte curarum ſolutus per Te videri poſſet VLADISLAVS; Vt cui inter ſeuera Bellonæ Connubia flãmaſq; Martiales, fido aderas comitatu, eidem ad Auguſtas feſtaſq; CÆCILIÆ RENATÆ Nuptias, germanâ Maieſtate Paranymphus præires. Atq; vt incitata ſemel virtus, obſtinatiùs in obſtantia quæq; irruit, & auida periculi, non tam computat decora, quàm ne poſſint facilè numerari, contendit, nihil Te hactenus, laborantis patriæ causâ egiſſe arbitratus es, ſi Tua illi, non te inſuper impendiſſes: Primus aggredi caſtra hoſtium, oppugnare propugnacula, ſuggeſtus tormentarios inuadere, demoliri, Tuâ loricatus virtute ambitiosè experieras. Quaſi verò periculum, non maiore depuliſſes periculo, ac in vna Schini ſtatione, non Spes patriæ, nõ vitam Ciuium oppugnâſſes. Prætuliſti gentilitio in Faſce,

non tam iræ vindicis instrumenta, quàm Cornucopiæ, quo & seruâsti Ciues, & hostes perdidisti; cùm tantum eis de viribus adimeres, quantùm Regiâ planè annonâ addidisti Tuis. Igitur accurris bonis auibus, & quam à Tuo solùm trahebant spiritu, vitam cumulatissimâ impertiris manu. Et hos ego Lugdunensibus non opponam æmulos? Arietem ijs, quouis tormento grauiorem, suprema admouerat cibariorum penuria, propè debellatura, nisi in eos incidisset, qui ab aduersis, & virium & famæ nutrimenta peterent: in tantum, ipsiusmet hostis clementiam dedignati, vt eam suis de mænibus, crudeli fortassis, at magnanimo responso exploserint. *Alimenta sibi non defutura, donec læuum brachium restaret; hoc esuros, dextrâ ad libertatem tuendam reseruatâ.* Quid? an non idem Smolenscensiũ ceruicibus, ineuitabili necessitate, atrocis inediæ imminebat telum? infregêre illud tamen, infracto animi robore, ausuri idem etiam, nisi famam Tuo capite, famem commeatu explêssent. Sẽsit iam tũ Regiæ ictũ dexteræ Moschus peruicax, cùm duos pariter clade suâ persentisceret victores, ne vinci iterum ab alterutro cogeretur. Quàm egregium Tibi cum Æmilio, hostes non homines perdere? eo nî fallor consilio, vt in tanta vel barbari cruoris parsimoniâ, eiusdem belli & pacis arbiter, eundem cum VLADISLAO subires ARCVM PACIS. Cæterùm Tuæ maiestatis fulgore perculsus Draco Moschuæ, rabie Tuos ad pedes eiuratâ, æternæ caliginis refugiat in antrum. Nos fidem concepti olim ominis, successibus è Tuis Tributariâ pensione, lætas inter acclamationes exsoluimus.

Iö ter & amplius. Vicit ante claßica Vladislaus,
At non sine Compare CASIMIRO.
Continete vos Larario Aruspices,
Certiora tenemus omina ex nomine CASIMIRI.
Fatale hoc semper Schismati Nomen.

Mo-

Mouit in monstra Hercules, at cum Theseo,
Habiturus Gloriæ Collegam in Fratre.
Incomitata Heröum virtus raró contingit;
E concursu Maiestatis geminæ
Tanta debuit intendi armorum lux,
Quanta ad præstringendam hostis aciem satis eßet.
Quid euincerent duæ Aquilonis Noctuæ,
Contra duo Lumina & Fulmina IAGELLONIDVM?
Impatiens magnæ lucis Vespertilio
Versat in puluere, auersam faciem Sheinus.
Solem in Aquilone Orientem, proni adorant Gigantes.
Sub Ioue frigido, Iouis munia veré obijt Casimirus,
✠ *Ope, quasi cælitus latâ obseßis: Pane & Igni.*
CASIMIRIANVM *est ferre suppetias laborantibus,*
Vitam proferre morituris, Iagellonium.
Beneficentiæ Theatra, Diui partiuntur Iagellonidæ;
☨ *Militibus alter per Dwinam fluuium iter,*
Alter per Borysthenem præmonstrauit;
Vadum ille, hic vadem Salutis.
At heu! Prostrata tunc Principis valetudo,
Robur eiusdem militiæ consternârat;
Sed luctatus cum ægritudine demùm vicit.
Iö Triumphe Sarmatico Alcidæ,
Æquè hostes triumphanti, ac morbos.

Pace domi, forisq; constitutâ, palàm facturus, Regio in pectore Marciales spiritus otio non torpere, Germaniam, Galliã,

✠ Panis & pulueris penuriâ laborabat Smolésc: ☨ S. Casim: Lithu: Exercit.

taliam fam âTui nominis implêsti, antequam Sarmatiæ gubernacula prehendisses. Priuato esse non licuit, ne celata virtus, sterile bonum esset: quæ prodita, admiratores haberet, accēderetq; studia æmulantium. Tralucent ex abdito meliùs magnæ mentes. Nec gemmis conchylia, nec soli nebulæ officiunt. Et lana squaloribus imbuitur, antequam fulgore purpuræ induatur. Casimirianum est: non sacris tantummòdo in otijs, sed supremis etiam Reipubl. in negotijs, magnanimitatem profiteri, manumq; porrigere naufraganti. Cùm idem propè fuisset decessus è vita Vladislao, qui hostibus ad regnū accessus. Feciales rebellium hastæ, non priùs iactæ in confinium, quàm infixæ multorum pectoribus, bellum ante, quàm edicerent, profligârunt. Solitudine alibi, alibi oppleta insepultis ciuium sepulturis fora vidimus! Russiam deniq; vniuersam, suis in cineribus & vrbium fauilla pænitentem. Ac, vt istius ruderibus altiùs ingemiscimus, ita prosperum immanitatis hosticæ exsecramur parricidium. Probaturi fortasse, vel in hoste virtutem, nisi nos Cælo vltore, nostrâq; socordiâ oppressissent. Non enim illis capta oppida, sed aperta, non vi adita, sed prodita, deditaq;, non arces extractæ machinis, sed machinamentis reseratæ. Seruiet tamen, velit nolit seruile vulgus: mordebit frenum vesana bellua, ponetq; animos, excors illa fecis agrariæ temulentia. Ita illi quæ bobus nuper ademerunt iuga, liberis dum imponunt iugulis, intelligent, redeundum sibi, à bellorum statiuis ad stiuam, à clypeis ad malleum, à mucronibus ad ligones. Parco interim lugubribus, ne Triumphalia funestem. Quin Laconico pede, longam illorum insaniam, vt fugiam satiùs quàm consecter, contractas velut in pugno, tatorum pugnas, Tuæ sub oculos Maiestatis educo.

Inter-

Interregnum
Anni 1648.

Sole, in Sarmatia, occidente,
Graßatos quid miremur latrones?
Rarò tenebræ, Scelerum non patronæ.
Minùs attamen patuißet prædæ Polonia,
Si tenebrionibus Thracica non fauißet Luna.
Exortus ab occasu Hesperus, feras e latebris exciuit.
Samsone mortuo, vulpes insultant vrbibus aßultantq;
Ausæ heu! Barbam vellere Russiæ Leoni.
✠ *Benè olebat antrum illud, vulpi illi,*
Sed meliùs spoliatus Ciuis.
Ex arce Leoburgica acti in præceps,
Zamoscij aggeribus, Borysthenij illiduntur fluctus.
Atrox iniquioris Bellonæ hastiludium,
‡ *Ad Hastas Martis* SHARII *se infregit.*
Debuit vesper igneus subsequi Solem nostrum,
Cui flammeus præceßerat Phosphorus Orituro.
Orioni perquàm similem diceres:
Qui nec oritur, nec occidit, quin cieat tempestatem.
Non solo Regum Rege exspirante,
Rerum vniuersitas concußa est:
Affine quiddam sunt, Dei & Regis obitus,
Quia & finitima Potestas.

Ite-

✠ Leopolis à Chmielnicio oppugnatæ lytrum. ‡ Zamosciorum Insigne, tres Hastæ.

Iterum ad VLADISLAI IV. deceßum,
Ciuico terra tremuit belli motu:
Aperta Principum Mausolea sunt;
Pudoris primùm, dein Templorum vela scißa.
Sopito Hercule, Harpyiæ contaminant mensas Dei!
Agricolæ à Furijs obseßi, vrbes obsident:
Fana sacrilegi profanant Fanatici:
Litant cruentis hostijs Flamines Catilinæ.
Scilicet sobriè agerent in templo, sanguinarij helluones?
An & Marti Lechico, par calamitas incubuit?
Andabatarum alibi, alibi Parthorum more pugnatum est!
Ad Thermopylas Pilauienses expilata Aquila,
Senium isthic, cum exuuijs posuit, non et animos.
Non soli iam Ephestioni,
Sed et VLADISLAO, vrbium excidio parentatur.
Ita nunquam magna Sidera deficiunt,
Quin officiant Subiectis.
Cur Cælum Sarmatiæ non ruerit, causam accipe:
COLLAPSO FATIS ATLANTI
Succeßit æquali robore par ALCIDES.
Age ✠ Miris Casibus exercite CASIMIRE:
Ægram si reliquit Patriam VLADISLAVS,
Sensim conualescet Te Vncto.
Redintegrandæ Sanitatis argumentum est:
Telum è visceribus Patriæ extraxisse.

CLAS-

✠ Anagram: Casimir.

CLASSICVM
SEPVLCHRALE
COMPLORATIONIS PVBLICÆ,

Ob immaturum ex Humanis deceſsum,

Semper Victoris, nunquam victi

IEREMIÆ MICHAELIS KORYBVTI

Ducis in Wiſniowiec & Łubnie

WISNIOWIECKI,

Palatini Terrarum Ruſſiæ. Premiſlień: Kaniouień: Przaſniceń: &c. Gubernatoris. A grata ac memori patria, inter lugubres vertentis Anni Exequias, ad 13. Kalend. Sept: recurrentes,

RENOVATVM.

Anno pacati à Chriſto Orbis. MDC. LIII.

I.M. K.

D. W.

P. R.



Acerba ſemper, importunaq; viſa eſt, eorum mors, qui aliquid immortale, aut fecerunt, aut parant. *Plin: Secund.*



SERENISSIMO ac REVERENDISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

CAROLO FERDINANDO,

POLONIÆ SVECIÆQVE PRINCIPI, Vratislauiensi & Plocensi Episcopo: Oppoliæ, Ratiborij Duci, &c.

DOMINO ET PATRONO SVO CLEMENTISSIMO Auctor Felicitatem.



Ertius iam, PRINCEPS SERENISSIME, *decurrit annus, ex quo victorem spiritum cœlo intulit, maior laudibus, & omni superior inuidiâ* WISNIOWIECIVS; *alterâ sui parte, (o quæ ista fatorum mora) necdum illatâ monumento! Quasi minimè cõueniens sit, ire sub terras Heròëm, qui continuo victoriarum tractu, laudem extendens, supra omnem Bellatorum fortunã sese altiùs extulißet. Nec sine æternæ mentis comitio factum reor, vt idem Mons, qui Salutiferæ Cruci sacer est in Polonia, pijs demortui Cineribus, temporarium præberet hospitium, vnde velut editiore è suggestu, depositæ mortalitatis exuuiæ spectarentur. Quod vnum illi, à morte detrahi potuit spolium, illud inter Trophæa Vincentis Regnantisq; à ligno Domini, reponi voluit is, qui in eodem Imperatoris sui signo vincere soli-*

tus

tus Crucis hostes, Cælo & Patriæ militabat. Ita, quà ciuilis belli tumultibus, quà graßantis quaquauersum pestilentiæ terroribus præpeditum, ac insepultum hodieq; funus trahitur Wisniowiecij; quò productior sit in alterius IEREMIÆ *obitu lamentatio: nisi quòd ille rarâ piè morientium modestiâ, postquam lugeri se magnificè vetuit, splendidæ humationis pompā nec amat, nec requirit. Absq; sonori luctûs Claßico, nouißimam fatalis tubæ exspectat vocem. Vt iam propè receptui cogar canere, qui modò Claßicum occinui Sepulchrale. A funebri ignium apparatu lucem non accipiet spectatißimus de suo. præsertim quòd præter communem, quam in omnium desiderijs vitam continuat, principaliter apud Serenißimum Regē Nostrum, Fratrem Tuum, in animo & iudicijs, apud Te in amoribus & pretio etiamnum viuit, spiratq; in superstite Filio, Tuis Princeps Indulgentißime fauoribus, in spem Patriæ alendo fouendoq;. Hoc Tu Wisniowiecium accepto pignore, æternùm Tibi obligas, eiùsq; dolentißimam Consortem; eò altiùs Tua sentientem beneficia, quò præsentius orbitatis geminæ in Te vnico reperit lenimentum. Addidisti congenitæ pietati Tuæ, comitem beneficentiam, dum nouo adoptionis titulo, Maiestati Tuæ, magni nominis Alumnum adsciuisti; vt de Tuo Tibi & Reipublicæ cresceret, bellicosum Parentem factis paribus redditurus ad vitam. Felix orbitas, tantis vel Tutoribus vel Patronis! Gratulare itaq; naturæ & moribus Tuis Princeps Optime, Tibiq; potiùs quàm Traiano dictum imputa:* Nullū Principe dignius impendij genus esse; quàm quod *in Heròúm Filios* erogatur.

WISNIOWIECII PRINCIPIS Claritas,
Ex peruetusta Ducalis Familiæ Nobilitate.
HIEREMIAS WISNIOWIECKI
A Iagellone & Korybuto Fratribus,
Illo Poloniæ Coronato, hoc Bohemiæ electo Rege,
Augusti vtrinque Sanguinis proles verè Heroica.
Eminentem tantorum Natalium Claritudinem,
Bohemicâ, Austriacâ, Hispanicâ,
Maiestatum cognatione olim auctam,
A se magnus, factis illustribus extendit.
Per Alexandram Korybuti & Iagelonis Sororem,
Nec non, Ernesti Archiducis Austriæ Consortem,
FRIDERICI III. Romanorum Imperatoris Matrem;
Quà Regio, quà Imperatorio generi immistus,
A neutro degenerem se, quòad vixit probauit.
Quorum illud, ab eximiæ felicitatis priuilegio,
Hoc à virtutum institutis obtinuerat.
Prima excellentis Naturæ dos illa fuit:
Reges, Cæsares, Dynastas, Duces, Principes,
In fundamentum Prosapiæ accepisse;
Altera, cæptam ab alijs gloriam perduxisse ad summum.
Retulit Maioribus gratiam sui ortûs
Quisquis in originem Suorum suâ magnitudine influxit.
Prouiderat sibi gestorum nobilitate Wisniowiecius,
Ne solo antiquitatis pretio sua laus constaret:
Ratus miseram esse, vel felicium conditionem,
Vbi nihil moribus, omnia sanguini tribuuntur.

Imagi-

Imagines & cæræ Auorum
Ignauiæ cæteris, aut arrogantiæ nutrimenta,
Illi fortitudinis auitæ incitamentum fuêre.
Inde (*vt sunt actuosæ Heroüm mentes*)
Demetrij, Alexandri, Constantini, Michaëlis,
Magna Wisniowieciorum nomina, rebus gestis æquauit.
Posteaquam
A Basilio Korybutide, basilicum planè genus,
A Sigismundo Rege Bohemiæ
Consanguineum pugnandi ardorem traxisset;
Militari ingenio GEDIMINVM,
Præliorum varietate OLGERDVM,
Stratagematum successibus VITOLDVM,
Pacis bellique artibus KORYBVTVM,
Ad imaginem fideliter, ad exemplum magnificè,
In se reddidit & expressit Nepos.
Vsqueadeò
Succinctus æmulatione animus, aliena decora, sua facit.
I nunc: *& Heròúm filios, noxas voca.*
At enim
Rimari altiùs in prima fontium capita non lubet,
Cui longè antiquius visum sit,
Acta, quàm geneses Principum enarrare.
Præaltas Consanguinitatum Arbores,
Illi ambitiosiùs exporrigant ad fastum,
Quibus omnis in stirpe gloria consenescit.
Quasi multùm intersit:

Recta

Rectâ an obliquâ Proauorum lineâ,
Ad ſeram Poſterorum obliuionem deſcendatur.
Korybutianæ propaginis præcelſa Arbor,
Proceritate, Regum ſolia attingens,
Amplitudine, Principes familias complexa,
Vetuſtate, ſecula prætergrediens;
Succreſcit in palmas, flectitur in arcus,
Solidatur in Trophæa,
Victoriſsimo Korybutorum Wiſniowiecio.
——— *Pendent hîc illius arma,*
Et clypei galeæque, & Martia ſigna Virorum,
Clauæ Imperatoriæ, Ducales mitræ, Caſtrorum faſces,
Tot nominibus emerita, tot laboribus parta inſignia!
Quorum pleraque, ſui perparcus æſtimator
Mereri maluit, quàm habere.

IEREMIÆ WISNIOWIECI. *indoles præcelſa: ſtudiorum auſpicia: Peregrinatio ad exteros: Auctoramentum militare: Expeditiones bellicæ: victoriæ memorabiles: Pacis opera.*



PEſtabat benè inſtitui, cui naſci feliciter contigiſſet. Nec agris ſterilibus, nec bonæ indoli imperandum eſſe, ipſa Wiſniowiecij comprobauit educatio. Sub accurata illuſtrium Tutorum diſciplina, ad frugem recti moris excultus, ipſo ætatis vere exhibuit, quod vix alij in autumno: Sterilis ingenij argumentum eſſe ducens, ſolâ perdiu ſpem alere in

herba

herba. Præcox IEREMIÆ pueritia, primò in calamos, dein in mucrones erupit. *Primum bellatoris armamentarium eße literas*, monuit ‡ Alphonſus Rex, expreſsit Wiſniowiecius; inde ſuccum & robur iuuentæ tracturus, vnde expers literarum Lycinius Imp: peſtem ſuxit & virus. Nec abſq; numine, è gentilitio paternæ ditionis propugnaculo, Leoburgicā in vrbem, claſsico Palladis euocatus, ſtudiorum eandem, & armorum ſedem habuit. Hîc laboris literarij ſumpta puero prætexta eſt, vbi poſtmodùm Palatini Honoris laticlauium accepit. Hoc demum eſt: *Suam ſuo de cenſu exornare Spartam*. Sieniauiano Societatis IESV in Collegio, æterna auito Schiſmati odia profeſſus, æternum Romanæ Fidei Sacramentum dixit, inſigne pignus Matri Credentium reſtituens in ſeipſo. Iamq; tum, ad humanioris literaturæ præſcripta flecti facilis, in tantum contentione diſcendi proceſſerat, vt timendum Marti fuerit, ne, qui ad bella natus eſſet, factus ad pacis opera, præriperetur à Minerua. Igitur primam apud exteros ætatem acturus, peregrinandi cōſuetudinem, pleriſq; pulchram tātùm, ſibi vtilem inſuper eſſe voluit, è rationibus Reipubl: cui, quò pluribus prodeſſe titulis liceret, capacem magnarum rerum adoleſcentiam, ad vitæ officia, ad ciuilem ſapientiam, ad leges prudentiæ, Ethicis, Politicis, Hiſtoricis impensè erudijt; recepturus domi cum fenore, quidquid foris in opere locâſſet. In Vrbe vrbium principe commoratus Princeps, pœnitēda cæterorum decēnia, ſuo caſtigauit triennio. Hîc aſpectabilem Vaticanæ Religionis maieſta-

‡ *Aragoniæ*

iestatem, hîc natiuam Latini puritatem sermonis, illam summo adorabat in Capite, hanc suo regustabat in fonte, eximius vtriusq; cultor. Generi Fortunæq; suæ congruum arbitratus, peregrini oris & moris elegantiam, è compẽdio nationum summatim collegisse. Itaq; illo orbis in theatro auidissimè spectatus probatusq;, actâ ex decoro Principis personâ, dehinc Martis Belgici gymnasijs intimè perlustratis, Musarum Oracula, pari studio adijt audijtq;: *Mera eße discentium intemperia* existimans, ferri tantùm acuere aciem, non & mentis.

Hinc Sagi ac togæ medius, de armis coram se disserentibus eatenus auscultauit, dum belli decora, pacis artibus non præferrent; quum ipsemet Vitæ & Martis magisteria, lectis deducens ex annalibus, casus bellicos, præliorum euenta, fortunæ aleam, inter oblectamenta eruditæ voluptatis reponeret. Quam in rem, priscæ monimentis militiæ sedulò euolutis, vel ipsa magnorum Ducum infortunia atq; errores, ad felicioris exẽpli cautiones retulit, alienâ quoq; temeritate aut inscitiâ vsus prosperè, ad suæ experientiæ incrementa. Idem artes Imperatorias, è veterũ commentarijs, in fastos memoriæ transscribens, vnus omnium bellatorum articulos, tam scitè, tam integrè perdidicit, vt in eo ad belli gubernacula iam admoto, neq; opportunam Fabij cunctationem, nec pugnacem Scipionis impetum, neq; expeditam Pompeij promptitudinem, Patria vnquam desiderâsset. Tanti constitit Ieremiæ Wisniowiecio, florentes annos, peregrè excoluisse, quanti erat, *otij vitia, negotijs virtutum discußiße.*

Redu-

Reducem ab Exteris, aula SIGISMVNDI III. & VLADISLAI IV. inter Ephebos Regij cubiculi, ad Summa perfecit, etiam hîc rarâ obsequij dexteritate singularem! Et quidni fortium oculis Principum admotus, vsu tot Serenitatum, citò adolesceret ad sagum? à quibus vndeuicesimo ætatis suæ anno, militari præfecturâ auctus, Tirocinia armorũ Tribun⁹ posuit, prolusitq; secuturis mox victorijs ac trophæis. * Vidisses nouum ad aras Annibalem, Deo Exercituum, Religioni, Patriæ, Ciuibus, vitam, gladium, fortunas, deuouentem! Diu feriari, nec per suam indolem, nec per fata Patriæ licebat Wisniówiecio. Idẽ fermè, illi bellorum primus, qui Vladislao IV. imperij annus fuit. Hereditatem virtutis Heroicæ, citò adijt, quia gloriæ præmaturus.

A Moschouitica Expeditione, cursum militiæ exorsus, eundem inoffenso deinceps pede, ad vsq; terminales vitæ columnas promouit, famâ tanti nominis ad posteros iturâ. † Sub forti æquè, ac felici Rege, virtutis & Fortunæ experimentum facturus, vtriusq; potestatem, atq; omen accepit ex nomine Vladislai. Nimirùm intererat Wisniowiecij, quibus ad immortalitatem Ducibus vteretur. Sub Coronato recens Principe, miles inauctoratus, ad Regalis Manipuli stipandam maiestatem, & ipse militares de suo manipulos, Martialem eduxit in arenam; cumq; adhuc in ætatis ac spei oriente staret, ad Septentrionem, non magnesiâ, sed suâ tractus virtute ferrum vertit, quò index armorum necessitas rapiebat.

* Liu, Lib. 1, Dec. 3, † Vlad: IV.

ebat. Efferatus ille Draco Moschouiæ, Polonum à tergo, ne inuolueret caudâ exercitum, immiſsis celeriter aquilis, oculatiſsimus prouidit Dux, in omnem rei gerendæ occaſionem perintentus. Sanè præſentiſsimum diſturbandæ gigantomachiæ telum in Wiſniowiecio repertum tunc, ſuorum obiectu laterum prohibente, ne procederet Moſcho dolus. Scilicet arma & vires, illi coniungerent gigantes, limitaneo intercepti milite fulminantis KORYBVTIDÆ? cùm is, in viſcera hereditarij hoſtis properè illatus, profligatis ad Putiwlũ tot millibus Borealium Tyrannorum, exciſis perduellium ciuitatibus aut exuſtis, docuiſſet periuros: *Ab ignea Korybutorum indole, elementum aliud ne ſperarent. Accenſum ſibi ab* OLGERDO *fomitem durare adhuc; erupturum confeſtim (ſi conſpiraßent) in vltrices flammas.* Quid, quod belli & victoriæ ſocio, Lucâ Zołkiewio, ſecuritati Patriæ, ſui periculo conſulturus, quindecim millibus conſcriptis armatiſq́; ære ſuo, tot tantiſq́; impendijs, ad perdendos Reipublicæ hoſtes iuit? O annum reſtitutæ ſalutis (MDCXXXV) Polonis memorabilem, glorioſum Wiſniowiecio. Moſchouiæ fatalem!

Eâdem tempeſtate (vt plerumq́; victoriæ non incedunt ſolitariæ) Komaryceńſes tractus, terrore ſui nominis præmiſſo, prædarum abactu, clade vrbiũ, ferro, igni vaſtauit. Admonitis malo ſuo fœdifragis: *Ignẽ gladijs ne foderẽt, ſerã in cinere vrbium acturi pœnitentiam.* Nec immeritò, capta oppida, arces dirutæ, incenſa latè omnia, deductum illi ab incendijs addidêre cognomen.

Ohe?

Ohe? quàm magnificum & illuſtre Wiſniowiecio, *Incenſoris* titulum in hoſtico meruiſſe: niſi malit Mauortis, magna momento vertentis. Felicem Te, cui idē laudator, idem arbiter virtutis contigerit Vladislaus, verè id, è mentis Regiæ oraculo effatus: Ieremiæ Wiſniowiecij generoſis auſibus, agi gratias oportere, quòd tantum operæ & pretij, ad Moſchouiticum contuliſſet triumphum. Rarum profectò fortitudinis & Modeſtiæ, inter Triumphalia certamen!

Caſtigatâ Shehini perfidiâ, faſtum Abaſij depreſſurus, lunæ Othomanicæ, Lunam Korybuti oppoſuit, hoc illâ meliorem, quòd præmunitam Crucibus, in hoſtes Crucis. Ergo in perfrigida cæli plaga duratus ad algores, de ardore bellico inter niues Arcticas nihil remiſit! dum nouas quotannis laborum prouincias exambiens, à Moſchouiticis offenſionibus ad Turcicas prouocatus, vtrobiq; experientiſsimi numeros veterani expleret. Tūc, ſi aliàs, Podolia Victoribus victiſq;, laudis & ignominiæ capax, at diſpar theatrum fuit: in quo, hinc Abaſius de ſe Koniecpolio, illinc Wiſniowiecius exercituum oculis, Martiales actus dedit. At quantus corroboratâ iam ætate, apud Starekum, contra vim & arma Coniuratorum, periclitāti de ſumma rei STANISLAO POTOCIO, ſuppetiarū inexſpectato accurſu, aciem cum ſalute reſtituit? Sibi Ducibuſq; reddit⁹ illo die exercitus, immiſsū velut cælitus Auxiliarē per caſtra Wiſniowiecium conclamauit, attentiorem vbiq; ad noua in Rempubl: merita, quàm ad *laudes*. M Fatis

Fatis hoc IEREMIÆ Principis datum diceres, vt nutantem alibi, vtriusq; Ducis fortunam, reponeret in gradu; alibi exitium ab exercitu, aut obsidium amoliretur. Fuit, cùm acriùs aliquantò, quàm cautiùs in hostem prouectus, periculi contemptum, præliaris equi iacturâ redimeret. Traiectus pilâ ferreâ hic Bucephalus, nostratem admonuit Alexandrum, ne se cõmitteret sortis pilæ. At ille, acsi se obnoxium fortuitis non agnosceret, nouis in dies excursionibus, Marti & Morti occursans, damnis ciuium, Paci publicæ, calamitati agrestium succurrebat. Seu obliquis, seu transuersis itineribus vrgeret hostem, rectà semper victricem contendebat ad palmam. Ita Wisniowiecio, ad sublimem Zamoíciæ affinitatem prosapiæ aspiranti, per constrata barbarorum iuxta ac rebellium capita, Turcica, Tartarica, Russica, Moschouitica euadere placuit, ductu virtutis paranymphæ. Promissa in Consortem Æneæ sua Lauinia, non per vnicum Turni tumulum, ad thalamũ triumphalem venit. Et par erat, magnum Thomæ Zamoyscî Generum, priùs cum hostibus bello transigere de gloria, quàm de sanciendo connubij fædere cum amicis; nec ante, vitæ ac tori sociam sponsionibus pacisci, quàm nominis & famæ perennitatem, nuptiali annulo consignâsset.

Olim magnificè æternitatem ingressuro Victori, vna tot Triumphorum curribus Via, quî sufficeret? Quot bellicis excursibus in hostes iuit, totidem callibus ad Honoris Capitolium subuectus est. Kijouiensibus quondam

dam redeunti à comitijs, ingens gloriæ viaticum necopinanti oblatum est; quippe Omer-Agam Krimensium Tartarorum Ducem, lectis hinc inde promptioribus ad pugnam, insecutus, prædâ omni exutum, parte exercitûs mulctauit; documento posteris: Ea solitum consulere circulis Wisniowiecium, quæ mox decernens contra hostes, *agendi tempora consultando non perderet.* Extemporaneo tunc Victori vestem candidam, ipsa prælaris diei lux cõtexuerat ad pompam, quâ *TRANSFIGVRANTI* sese Domino miles concolor, & ipse Solis instar offulsit captiuis, lætum vel inter compedes pæana succlamantibus: Ieremiam Wisniowiecium, Christianæ libertatis vindicem, parentem, assertorem, venisse, pugnâsse, vicisse: nullâ Cæsaris iniuriâ, omni merito suæ laudis. Is mihi verè fuerit trophæorum auctor, qui immissas in Vkrainam Scythicas falces, gladiorum oppositu sic obtriuit, vt sperata pro lauro, truncos meterent Suorum artus, pro manipulis, dena cæsorum millia computarent. Nemo posthàc steriles vocauerit campos illos, ex quibus tanta meritorum seges prouenerit Wisniowiecio. Captus ea in pugna, Campiductoris Filius Bayram-Kazy, paterni dedecoris catenatum obsidem in triumpho egit. Sed, (quæ fuerat lenissimi victoris clementia) Patrem in Wisniowiecio expertus est, vel inter vincula. Data ætati venia, ne iugum captiuitatis sentiret; vinctus tamen argenteæ seruitutis compede est, ne fors ad libertatem auream adspiraret; cuius magna ei

portio videri potuit oblata, cùm ad Poloni Principis obsequia mancipatus esset: Sed barbaræ stirpis infelix plãta, mitiore soli & solij cultu offensa, è regiæ primò, mox è vitæ limine eiecta est. Sub exordia consequentis anni, eosdem Omer-AGIANOS, (aperto Iani templo) secũdis ad Ochmatouum prælijs ex improuiso adorsus, tam inobseruabili impetu perculit dispulitq;, vt pugnâsse alibi, hîc fulminâsse crederetur! Habent sui nominis Tertium, ambo belli fulmina Scipiones, commune hoc cælestibus adeptum telis, quòd per caliginem densioris nebulæ erumpentia, priùs hostem feriant quàm id agere sentiantur, suo & Liuij experimento: *Plurimum semper in celeritate momenti eße.* Illum tunc Stanislaus Koniecpolius exercituum supremus Dux, arctissimè complexus, alterum sui capitis Tutelarem pronuntiauit; hereditariũ id genti Korybutiæ decus adstruens: *Eam æquè admirationi barbaris, ac terrori eße.* Macte hoc imperatorij sensûs præconio, fortium modestissime Wisniowieci, tubâ Homeri non eges, Regum Ducumq; laudibus peror-natus!

Fortitudinis fuerunt illa, hæc solertiæ felicis, quâ seruilis ingenij machinamenta & artes, simul aduertere, simul euertere promptum habuit, hosti alioquin præcallido, spe securitatis ademptâ. Etenim meditatas rebellãtium conspirationes, ad Holtwam, & Pultawam, ne erumperent in vulgus, oppresit in Primoribus; cauens vnicè præstruensq;, ne scelus plebeium virtutis nomine incla-

resce-

resceret. Hinc sæpius flammam ciuilis incendij, sua per oppida grassantem, ipsomet turbulentorum sanguine, celerrimè restinxit. Kumeykana, Lubnensis, cæteræq; seruorum strages, alteras Vkraynæ Cannas, alterum dedêre Trasimenum. Quum vrbes contagione sceleris afflatas irrumpens, cætus omnes, gregalesq; conuentus ab stirpe recideret: prima factionum capita, alia plectendo, alia aliò, per speciem necessitatis disparando. Nihilò mitior, concionales sacrificulos, malo Russiæ disertos, voce & luce priuauit, vtriusq; reos, iustæ aliquantùm indulgens vel iracundiæ, vel dolori. Demùm fatis erepto Patre Patriæ Vladislao IV. acerbitatem calamitosi si vnquam aliàs interregni, suæ felicitatis, temperamento mitiorem fecit. Captis namq; ad Korsunum Ducibus, cæso, fugatoq; Exercitu, tribus duntaxat suorum millibus molem belli sustinens, spatio septem mensium coërcuit hostilitatis torrentem, nec eluuie sanguinis, in Poloniam licentiùs exundaret. Homine maior censendus est, quisquis ferocem successu, numero præfidentem, dolis callidum, virtute compescuit, metu contraxit, consilio subegit hostem. Et ne singula consecter, ingentem orbi datura historiam, è ciuilium Iliade malorum, plura euoluere non vacat. Vtinam & Pilauianas, dicamne, Thermopylas, hoc est, infamem Sarmaticæ fortitudini scopulum, impunè præteruehi licuisset! Vbi fatorum & loci iniquitate, haud exterrita Wisniowiecij magnanimitas, immoto perstitit supercilio: cumq; suo ex more o-

mnia: præîſſet in diſcrimina, primam pugnando acriter, aperuerat ſecuturis arenam. At fruſtra. nam & agentem fortia, & ſuadentem ſalubria haud ſecuti, ſerò tandem agnouimus : *Non plura medicorum diſsidio funera, quàm corruptas belligerantium diſcordiâ victorias numerari.* Hîc ad extremum, ſtudia per contraria, decus Poloni roboris diſcerptum eſt ! Tum verò alios ex alijs coniurantium tumultus, aut veriùs, alias atq; alias Lernæ hydras, verior Poloniæ Hercules, vel contudit vel ſopiuit: Krywonoſium, Pułianum, monſtra nominum hominumq;, priùs bellico apparatu, & inſignibus ademptis, vitâ inſuper ſpoliatos, palo ad terrorem ſuffixit, *dignos tropheo iſto, illos ſtipites.*

Quid multa? Hoſtium arcana, interdum claue aureâ reſerauit, interdum vi militaris tormenti èxtorſit ; cùm ipſe interim, ſuſpecta omnia intutaq; reputans, ſubinde diſsimulatis ex occulto conſilijs, translatâ ex tẽpore caſtrorum ſede, arma aliò oſtenderet, aliò inferret, apto ludificandis perduellibus commẽto. Longo vtique militiæ vſu edoctus: ✝ *Belli conſilia, tam diu tuta, quàm diu occulta.*

Obſidioni Zbaraʒienſi intereſt Et quid ibidem fortiter egerit tuleritq́ʒ.

State hîc admirabundi Heroës, vbi pro auita Maiorum Troia contra ſui temporis Dolopes & Achiuos, alter Sarmatiæ ſtetit perſtititq; Hector. Hoc illo fe-

✝ *Strada*

lo felicior fortiorq;, quòd aſtu varium Vlyſſem, armis validum Diomedem, deſperatâ expugnatione in ſtuporem vertit. Neq; enim ſorte aut caſu eueniſſe reor, vt eadem propè dies,& Tartarorum Imperatorem Chmielnicij cohortibus, & Principem Wiſniowiecium Polonico ſociauerit exercitui: Fatis hoc ſeriò agẽtibus, vt terrori Scythico, terror opponeretur Scytharũ; ne debellandis infidæ Ruſsiæ Rufinis & Eutropijs, ſui deforent Stilicones. Multis haud erat laborandum STANISLAO LANCKORONIO, armorum tunc imperia obtinenti, vt Wiſniowiecium, ad communis periculi gloriæq; conſortionem inuitaret volentẽ. Quid enim homini ad Reipubl: commoda intentiſsimo, ægrè perſuaderetur, cui & mori iam erat perſuaſum? Priuati dulcedinem otij, publicus ei malorum ſenſus ademerat. Igitur armis quàm annonæ commeatu inſtructior, ad prima Collegarum deſideria accurrit, non ſpectator tantummodò alienæ perſeuerantiæ, ſed & auctor. Etſi autem principio, repugnanti ſimilior, iuſtum obtenderet metum, ne (vt ſuſpicacia ferunt ingenia) aut bellicis imminere ipſe præfecturis, aut æmulã aliena in manu lauream velle infringere putaretur; flexit nihilominùs pũblicæ neceſsitatis Oratio, facillimam viri mentem, vt poſthabitis opinantium iudicijs, manum & ferrum, periclitanti de ſumma ſalutis patriæ conſecraturus, paruum Militiæ corpus ingenti ſpiritu animaret. Lætus alacerq; tanto Commilitone exercitus, congeminato per ſtationes plauſu, centuri-

atis

atis in occursum legionibus, non sine campestriúm fragore tormentorum (sonoro beneuolentiæ argumento) magnum hospitem succollantibus pænè humeris excepit! tam fortibus extunc in acie exemplis agentem, vt fæderatæ duarum gentium potentiæ, modò collatis pectoribus, modò elatis circùm castra aggeribus, obsisteret ad prodigium! hoste quàm odisset virtutem stupescente!

Coortâ primum suo in latere pugnâ atroci, campo & Victoriâ potitus, instantes præmonuit tyrannos: *Virtutem Polonorum, nulli non violentiæ parem fore.* Arctâ deniq; obsidione circumsessus, obsidentes docuit: *Heroum corpora attineri vtcumq; poße, non animos.* Videre mihi etiamnum videor, terribiles barbarorum vultus, & infusâ agrestium colluuie inundari omnia, occupari viarum tractus, legiones increbrescere, collatari turmas, densari veteranorum agmen, & illa virorum additaméta, cædibus, ac syluarum aptiora latrocinijs volitare, procurrere ante signa, ad arma conclamare, simul maioribus machinis Regia verberari castra: Scythis interim ne quid non agerent, barbarico vlulatu, ex proximo manipulatim incursantibus, tantâq; vi, excussa neruo tela glomerantibus, vt inuolantium supernè sagittarũ procella, solem eriperet Polono militi, sub vmbra meliùs pugnaturo. Ieiuna perdiu & inpransa crudelitas, obsumpto inter oppugnandum die, furiali impetu nusquam remisso, tam perditè satagendo connitebatur, vt plerosq; Nostrorum vallo mouerit, formidine ad eos celeriter

riter peruadente, quibus præſentiſsimum fugæ conſiliū, arx Zbaraziēſis offerebat, pedē illico è ſtatione, manum è Martis tabula ſubducturis, niſi eunte obuiam Wiſniowiecij exemplo & monitu ſiſterentur. Ita ille, cùm pugnandi ardore ad exemplum, tum propugnandi conſtantiâ ad miraculum ſuffecit, vtrobique ex vtroq; Princeps. Neq; enim vnquam, aut animo aut loco motus, ipſum deditionis nomen, ceu infame caſtris proſcripſit, Suadâ & manu acuens caſtrenſem Magiſtratum: *Reputarent ſecum ipſi etiam atque etiam, quid agerent? hoſtem omnes rimantem aditus, improuidâ diſceſsione, in viſcera Reipublicæ ne immitterent, ijſdem propè paſsibus, quantum ipſi receſsiſſent, tantundem è veſtigio acceſſurum.* ✠ *Nam & vilißimo cuique creſcit audacia, ſi ſe timeri ſentiat. Meminiſſent, pari nuper trepidatione, dilapſa direptaq; caſtra, fœci agrariæ (o rem auditu peracerbam!) impunè patuiſſe. Vnum illud timerent potiùs, ne timere videantur. Omitterent hæc ad ſpeciem honeſta, quia ad ſuos, transfugia. Quin ocyus, hoſtem, ſuperatis iam foſsis proteruè inſultantem, impreſsione aliqua cōmonerent Polonæ fortitudinis, ne ſic etiā captiuæ. Bonis & grandibus incæptis, pares exitus reddendos eſſe. Equidem ſe non prius famæ diſcrimen aditurum, quàm vitæ. Durarent concluſi, concludentibus futuri ſuperiores. Multitudinis vim omnem in primo impetu eſſe: languere, vbi proceſſum eſt obnitendo. Libertati pretiū ferro facerent: aut viam gloriæ, aut honeſtæ mortis aditum reperturi. Eluendam hîc Pilauianæ ſortis maculam, vel ſudore vel ſanguine. Cogitarent*

✠ *Strada.*

tarent ad hæc: hîc fortunæ, hîc salutis publicæ momenta verti. In summa, eligerent: Aut se Patriæ non defuturos, aut sibi Patriam non superfuturam. Et verò accincta operi eloquentia Principis, vnicè valuit, apud aures, ad sua vel decora, vel dedecora non surdas. Namque ineundæ arcis ablegato consilio, effusa omnis indignatio in hostẽ, præferuidâ repressione emotum sepimentis, atque ejectum. Nimirum: *Dat ira vires, quæ tumido dolet*

Ab hoste vinci,

patuitque victoribus atque victis: *Nullum esse telum ad vincendum potentius, necessitate vincendi.*

Benè habet, respiravimus ex metu. Post irritos assultantium conatus & cuniculos, post tot exitia cadentis cedentisque vulgi, aggressores, sæpè vallo & propugnaculis detrusos, postremò spe & voto potiundi dejecit, unus instar omnium WISNIOVIECIVS. Sensit probro suo ciuilis belli antesignanus: *Seruorum iras, consiliis dominorum pares esse haud posse.* Ne autem & Spartanæ severitatis ac tolerãtiæ, vigilantissimo in Principe desiderares exẽpla, stricto semper gladio excubantem nox & dies vidit! Somni ac refectionum indiscriminata illi tempora, cibus plerumque subitarius, quies tumultibus interrupta. Laboris, inediæ, vigiliarum assuetudine, supra morem bellantium duravit; probavitque: *Invictum animum curis nec obrui, nec lassari.*

Quod si præteriti doloris jucũda est recordatio, quãtò jucundiorem Wisnioviecio fuisse oportuit, quam ei (detonãtib9 ex adverso sclopis) pedestri vulnere Mars impressit.

presſit. Ac ne ſolâ Cunctatoris morâ vinceret, propiore in dies vallo hoſtium arctari ſe haud paſſus, proſperis eruptionibus (quoties libuit) obſidentes presſit; acſi manu alterâ fortunam, alterâ teneret hoſtem, feſtinatâ oppresſione impresſionem anteuertens. Et miremur? acriùs crebriùſque oppugnatam Wisnioviecij ſtationem, plura furialis iræ tela, ſuas collegiſſe intra foſſas? tot globorum cumulos, tot ſagittarum faſces, illos Ruſſiæ, hos Scythiæ remittendos, cum reſti, deſperantibus opportuna. His ille auſibus his & artibus, incomparabilis obſidij anguſtias, anguſtiores quovis gloriæ Circo reddidit in Auguſto; perſtiturus (ſi ita res poſceret) in autumnum, & ultra. O menſem illum non uno lætum gaudio! ô diem dierum nominatiſsimā! quâ inexpugnabilis, vel ipsâ hoſtium confeſsione, renuntiatus eſt propugnator Wisnioviecius! Princeps omninò, primuſque omnium, quotquot ex merito Obſidionalem accepêre. Olim non unâ donandus Ciuicâ, pro tot, vel captis Vrbibus, vel ſervatis.

Admiranda WISNIOWIECII Humanitas, & largitiones de ſuo, in ſtipendia Militum. Eiuſdem campeſtris Exercitatio, & ſplendidæ legationes ad Comitia Regni.

* FVerit hæc Natura Sideribus, vt parua & exilia, validiorum exortu obſcurentur, Majorum luminum inſigne

* *Plin.*

ſigne KORIBUTHI Luna, minores haud-quaquam extinxit ignes, Tribunis, Centurionibus, militi, eò carior, quò propior. Magnus, ſed ſine vllius diminutione magnus, in omnia familiaritatis officia deſcēdit, ſecurus ubique Excellentiæ Principalis. Adeò illi nec facilitas autoritatem, nec ſeveritas diminuit amorem! Modeſtiſſimus cultu & ſenſu, proſperitate rerum ad iactantiā non abuſus, vt ſuæ auctor, ita alienæ admirator virtutis, cùm nullius laurum aut hederã, ſuis inumbrâſſet laureis, ne gregarij quidem egregium facinus illaudatum indonatumque dimiſit: Tito Romanorum Imperatori impoſitâ inde erubeſcendi neceſsitate, vnde noſter hic, fide præſtandì, largior quàm promiſsis, nec officia pro rebus reddidit, nec ſpe Militem aluit pro annona. Quin æmulos etiam ſuis laudibus obſtrepentes, ad communionē eiuſdem gloriæ vltrò citroq; admiſit, eò dignior propiorq; faſtis, quò à faſtu remotior, & omni ſuperior inuidentiâ. Quantum eſt? (quod laudatiſsimo majorum ex more ſolenne habuit) bellicorum operum præfectos, peregrè conquiſitos, inuitâſſe præmijs, fouiſſe gratiâ, ornâſſe magiſtratu? Quid hîc memorem? ſolutâ obſidione Zbaraziēſi: Milites Reipub: implacabiliter ſtipendia exigentes, ne quid per ſeditionē agitarent ferociùs, auctoritate, gratiâ, donarijs ad mitiora traductos conſilia? tantò majore tranctandi animos artificio, quãtò difficiliùs eſt, iratos flectere, exarmare armatos. In tantum exaggeratâ, quod mireris, munificenriâ; vt de nos

prope-

propemodum milliones, illum ſuo erogâſſe è peculio, ad probatiſsimæ fidei calculos compertum ſit. Crede & ama poſteritas, inæſtimabilem in Ciue optimo Patriæ caritatem! Tantum ei publicæ rei pretium, vt præ illo Oeconomicæ priuatum æs vileſceret. Tunc ſe demùm fore felicem arbitratus, ſi, ut quondam diues meritis Africanus, *nihil in domum ſuam, præter magni nominis memoriam importaret*: Copiarum facultatibus, ad leges prudentiæ diſtributis, domi ad magnificentiam, in publico ad pompam, Militiæ ad vſum, in Templis ad nitorem. Nemo tamen perpetua ejus in genus humanũ promerita, ad numeros exigat temporarios. Vectigales ille æternitati cùm feciſſet annos, nullum beneficij ſterilem tranſmiſit diem: quaſi æternis Cæleſtium decretis cautũ eſſet: ne quod Wisnioviecio laude vacuũ iret tempus. Nec inſulas Baleares, nec gymnicas palæſtras, Caſtris Wiśnioviecij præoptauerim. Militari innutritus genio, eòq; ad militiam cuncta referens, ſolitudines ipſas & deſerta, armorum frequentiâ inſedit. Perekopenſes campi, Martium ei campum, trans-Boryſthenii tractus, circos ac theatra nobilis auocamenti præbuêre. Suas hîc delicias & receſſus, ſuam, ſed ſobrius Annibal Campaniam repererat. Amiſſam à ſe queri ſolitus diem, quâ inter velitandum, curſu, equitatione, haſtiludio, ſcloporum diſploſione, telorum jactu, ſe ſuoſq; non laſſaret. Sic mutationẽ laboris, inter laxamenta curarum reponens, campeſtribꝰ exercitijs, idem domi lucraba-

crabatur gratuitò, quod foris in ludo, Martis Belgici, vix emitur à plerisque. Eam ob rem luxûs & otii, tam ignota illi vocabula, quàm sudoris & parsimoniæ vsitata. Plerumq; inter arbores & virgulta prandenti, mensam clypeus, scyphum galea supplevit. Ardoris algorisq; patientiâ par Pœnorum Duci, somnum non molli plumâ aut silentio, sed lassitudine accersebat. Disciplinæ castrensis perdiligens exactor, propiores culpæ, modò conuitio, modò supplicio mulctauit, pœnâ alibi, alibi pœnitentiâ contentus. Vna hyberna malè discinctum soluerunt Annibalem, at Nostrum, arctioris nodo balthei semel adstrictum, nec voluptuaria vnquam fregêre æstiua: prouidentem anxiè, ne aut miles otio lasciuiret, aut quiritantium injuriæ tentorijs oberrarent. Neque nescius, atrociorem esse quouis hoste famem, suos auro & ferro stipendiarios in vtrumque protexit. Quamobrem, virtute numerũ supplente, non alio Duce plus confidere, non alio plus audere sueti, in omne fatorum telorumq; genus intrepidè proruebant.

Primam Wisnioviecio adolescentiam vix egresso & iam mores hostium cogniti, regionum situs inspecti, locorum opportûnitates exploratæ, vada fluminũ comperta lustrataque. At quàm lepidè, irruptiones Tartaricas, *Mentis Martiæ cotem* dictitans, inuolantium examina Scytharum non magìs expauit, quàm strenuus venator, damarum aut ceruorum greges. Quòcunque se intulisset (quò autem non intulit?) haud dubiã trahebat victori-

ctoriam, cuius toties, vel ex ipsa suorum alacritate, spem & omen cepit.

Notas legendi Militis, liber alijs aut ratio, huic optimus armorum magister dictauit vsus. Eapropter, manus militantium non multa nomina conscribens, viros fortitudinis triariæ, suis adnumerabat, ducebatq; sub signis: positurus in lucro permagni nominis, quòd ipsius etiam legio (ut Xerxea olim) immortalis diceretur, & esset; prompta obsequio, instans operi, audax in periculis, in prælijs inuicta. Nouum mihi negotium facessit, immò imperat suo iure, Eurysteus Wisnioviecî labor. Sequor impigrè Oczakovia ab vrbe ad Ozouiam, à Tanai ad Danubium, non pedibus magis quàm laudibus, tot spatia emensum, Asiam & Europam, famâ suæ admirationis coniungentem. Age quisquis es, aut hospes, aut viator: Magnanimæ virtutis præsidentiam plus vltra, plus & citra progressam, vel è contempta Tartariæ vicinia metire:

Apertâ propè Oczakouiam Cisternâ:
Infixis in ✝ Moscheæ *coronide sagittis:*
Aggere è congèstu lapidum excitato:
Limitem furori Scythico,
Trophæum immortaliti Suæ,
Tumulum spretæ Barbariæ,
Exstare voluit.

Magnus bello, nec pace minor Wisnioviecius, Marte per inducias tantisper consopito, ad publica Regni

✝ *Fanum Scythicum.*

Comi-

Comitia perſæpè Legatus, multarum vnus Prouinciarũ Oratorem egit. Quo ciuilis eloquentiæ in campo, quà Equeſtres, quà Ducales Maiorum prærogatiuas iure vindicans, Aiacem in acie, in Curia Neſtorem probauit ſeſe; quanquam utriuſque capax muneris, pugnare maluerit ſtrenuè, quàm loqui diſertè: vt qui pænè à puero innutritus caſtris, & viuere Laconicè, & dicere cõſuêſſet. Libertatis cauſas, bellica cõſilia, poſtulata Prouinciarum ſic promouit, vt sẽper acriùs dixerit pro aris, quàm pro focis. Sed aliò me vocat, latè in omnes exporrecta humanitas comitasque Wiſnioviecii. Admonitus Politicorum dogmatis: *præcipuum viri Principis munus eſſe: parandi amicos, diſparandi hoſtes*; Externorum amicitias Principum vltrò ſibi oblatas, cum honorificis legationibus accepit reddiditque. Hinc à Slangiereio Tartarorum Imperatore, magno ambitu ad ſociale contubernium prouocatus, inde à magnis Moſchouiæ Ducibus Michaele & Alexio, horrori æquè ac honori habitus cultuſque, à Theuderdaro Othomanicæ portæ ſupremo Theſaurario, præclarè geſtorum gratulatione auditâ remiſsâque. Mitto utrumq; Moldauiæ Dynaſtã, quibuſcum illi, amoris & beneuolentiæ miſsilibus certatũ eſt, quum interim apud Rakocium Tranſyluaniæ Principem (ex acie notior quàm ex facie) in iudiciis, in admiratione, & amoribus perpetuo effloreſceret. eandem, his colentibus, illis inuidentibus, neutris irritantibus virtutem, quam eſſe maluiſſent ſuam.

Quis

Quis enim, nisi paci & otio inimicus, non sibi amicum præeligeret WISNIOWIECIVM, nec prouocantem bella hostica, nec timentem? Sic notis pariter ac ignotis percarus, omnes omnium vnus occupârat affectus!

At, ô nimium breue bonorum Ver!
Quidquid in illo amauimus, aut suspeximus,
Quidquid optauimus, aut timuimus absenti,
Id totum in posthumi doloris acerbitate resorbemus.

Eius Religio in Deum, Pietas in Dei Parentem, Munificentia in Cælites, Expeditio Beresteciana.

ROmanæ Fidei Candidatus primùm, post Patronus, cùm antea nomen ei dedisset, vocem insuper & manum dicauit; vbique armatâ authoritate intercedens, ne Schismati plus liceret. Peramplas Honori Cælestium ædes, quũ posuisset plurimas, plures animo destinabat; perducturus ad culmen, magnorum cæpta operum, nisi molitionem pietatis, machinatrix rebellio disturbâsset. Mirè industrius, in vtramque partem, Diuini Honoris propagator, & Sui. Amplificatis in suo Ducatu Cænobijs, erectis per castella propugnaculis, constitutis è Voto Basilicis, adornatis magnificè sacellis, positione tot templorum, famæ perpetuitatem fundauit. Delubra non aliud esse persuasus, quàm æternitatis Vestibula,

ſtibula, rerumque humanarum fulcra. Aras item & altaria, vulgò ſuos Arcus & Pyramides vocitans, vbi vera ſolidaque eſſet gloria, admonuit Heroas. Ortam Schiſmatica à manu Sacrorũ ſtragem, nemo illo accepit indignius,nemo ſpectauit dolẽtiùs,nemo ſeueriùs vindicauit. Illo cognitore vltoreque, cauſæ Cælitum promotæ, violatis imaginibus honor redditus, Diuûm ſtatuæ ſuis ſedibus repoſitæ, læſo Numini maieſtas, templis immunitas reſtituta. Et verò, ter Optimam ter & Maximam Dei Parentem, haud ſecus, ac Matrem Exercituum veneratus, ſacris eidem feriis vt plurimum conflicturus, hâc potiſſimùm ex *Acie Caſtrorum*, omen & cauſam Victoriæ præſumebat. Securus hâc ſalutis ſuæ Anteſignanâ, cuius nomen in militarem teſſeram Venerabundus vſurparet. Tu nefaſtam caue dixeris diem illam, quâ MARIANO Honori cæſis tot hoſtium Victimis litatum eſt.

Primo WISNIOWIECIÆ felicitatis in cenſu numerauero, Expeditiones bellicas, nullis vnquam euentibus impeditas. Metæ & palmæ iam proximus, nouiſſimâ ad Bereſtekum dimicatione, è ſupremis acciſæ fortunæ reliquijs, octo ſelecti roboris centurias in commune collegit, plura ſecum (vt ſemper hactenus) auxilia tracturus, niſi hoſtilis ei violentia, belli neruum incidiſſet. Hâc demùm acie, capacem exerendæ virtutis campum nactus, pugnæ copiâ, ante alios efflictim exoratâ, ſummam periculi; obſtinato pectore irrupit perrupitque, vt qui

primus

primus hostem ex occulto aduētantem renuntiâsset, eundem per officia bellica salutaret primus. Honesta in primis fortium Virorum ambitio est, primam periclitandi pro Patria poposcisse arenam. Non aliàs ad pugnandum animosiùs, ad vincendum feliciùs, Martiales iras in Schismatico-barbaros effudit, Regis præsentiâ Ducis virtutem acuente. Vis & ardor, duo confligentium instrumenta, quid possint, tribus acerrimis prælijs, palam fecit, ter Victor! Sub illud belligerantium ferale turbidum, WISNIOWIECIO flammas inter & globos ferociùs rem gerente, Tartarorum Principes gradatim minor ex metu, primò in desperationem, mox in fugam est actus. Præpotuit potentissimo alioqui Tyranno, *mali augur timor.* Polliceri vltrà nequiuerat amicam sibi sortem, quam cælitùs temperatam, in manibus tanti æmuli videret inglorius, & invideret. Desertus ab animo, animam maluit auehere, quàm stolidâ spe præsumptam à se Lauream opperiri. Inter manubias & spolia, relicta à tumultuante profugo rheda imperatoria, triumphalem victoribus in currum cessisse poterat, nisi fractis à fortuna rotis, in plaustrum dedecoris recidisset. Tanta WISNIOWIECIO in distans etiam agendi vis, vt velabsens terga vertentem Slangiereium, imaginariâ sui nominis territaret vmbrâ. Infelicis belli, hàc author, illàc fautor euadens, controuersum orbi fecêre: vtrum sceleratiùs in castris fuerint, an fugerint festina-

tiùs? Ambo mutatis ad curſum equis auolâſſe feruntur, in ſeipſis experti : *fugaciſſimo cuiq; perniciſſimo opus eſſe.* Parthorum more eos pugnâſſe exiſtimares, ſi conſternati ex fuga, pedem referre potuiſſent : Illud armorum ex commercio lucrati , quòd ad veterem perfidiam, nouos ignominiæ titulos adieciſſent. Palmarius vel ipsâ hoſtium confeſsione Concertator Wiſniowiecius , in cæteris expeditionibus opinionem de ſe hominum, hâc & hoſtem & ſe vicit! In ædium penetralibus cæteri ſua decora, hic in ſacrario Regij pectoris defixit. Trophæũ illi & primum , & maximum, *Iudicia Principis meruiſſe.* Bellica in domo genitus ad triumphos, eandem propè vitæ & armorum lucem hauſit; cùm non ante iſtorum finem, quàm illius feciſſet. Tantùm intereſt, præliarem ſortiri animam, vt in ſinu Martis, mortem oppetas Heroibus expetendam.

KORYBUTHI PRINCIPIS reliquæ dotes animi, & Deceſſus eiusdem toti Patriæ luctuoſus.

A Principe fortuna, Ducalem Proſapiã Regali confinẽ adeptus, eam admirabili moderatione, antiquæ non præhabuit virtuti : cuius nutu ductuq;, ſeueritatis bellicæ ad leges perattentus, inuiolabili edicto, nocentiorem omni contagio luxuriem caſtris emouit. Veterum ex-

peri-

perimentis præmonitus: *Bacchum & Venerem, infesta esse Numina bellatoribus.* Inde rigidâ vt erat innocentiâ, iura maritalis continentiæ, tàm sanctè coluit, quàm integrè custodiuit; verè Principe animo, quia vitijs inaccesso. Affectata quondam Scipioni castitas, nostro ingenita, etiam in summa armorum ac ætatis licentia, laudi fuit! Multi multa de alijs Trophæa statuêre, sui & hostium domitor **WISNIOWIECIVS**, multò gloriosiùs posuit ex vtrisque. Haud dubius: illam omnibus antestare laureis, quam victor animus præcerpit ex se ipso.

In vectigalibus, more maiorum imponendis, non alius moderatior, in condonãdis, non alius indulgentior: ita Patris, ita Domini miscebat officia, ne alterutri deesset, aut obesset. Quin sui etiam Principatûs frequentissimas ciuitates, metu alias, alias fide tenuit, ne desciscerẽt inuitamentis perduellium. Etsi mallet videri: inuenisse bonos potiùs, quàm fecisse. Vtque nec Optimi extra ictum: nunc hominum, nunc fatorum malignitate pulsatus, nunquam non sui potens, maiorq; inuidiâ, extra sensum iniuriæ eminebat, serenâ oris vultûsque tranquillitate, vbique circumlatâ. An ille simulationis Tiberianæ ad scopulum offensaret? qui per abrupta Punicæ calliditatis non incessit: procul abesse iussis, qui improbâ Virtutum imitatione, Virtutibus illudunt.

Absentes hactenus absentem prosecuti animis Wisniouiecium, adesto oculis, eiusdem spectatores: vt in vr-

besà se defensas, amore Ciuium, non humeris illatus, monstratusque Hospes, quà optantium Vota, quà plaudentium ora ad se pertrahit, nouâ Lechici Herculis violentiâ! vt eius videndi noscendique studio, effusa omnis ætas, laborantibus incumbat tectis; quò vel sic saltem, incolumem contueri liceat, cuius capite, integritas ac tutela omnium constitisset. Ipsa equidem patria tragicis ex diuturno actibus, fessos oculos, hoc salutis publicæ spectaculo multoties oblectauit, certa securàque: sibi se suisque liberis precari hos annos, quos Wilniouiecio precaretur. Nolim penetrare altiùs in arcana Virtutum, quæ sui obtegens modestia, mortalium conscientiæ inuidit. Hæc tu interim subiecta oculis carptim lege, quæ nec spernet posteritas, nec carpet.

Deo Iudici mentem integram,
Matri Virgini perseuerantem obseruantiam,
Religioni præsentem tutelam,
Reipublicæ inconcussam fidem,
Liberale Sacris Ordinibus patrocinium,
Ecclesiis opulentam dotem,
Viuens præstitit, moriens æternauit, testando.

Eò vsque Christianâ demissione progressus, vt postremis vitæ tabulis, omnium memor, sui immemor, omni funeris pompâ sibi interdictum voluerit! Ad extremum illatam ad se, Viatici nomine sacram Hostiam, supplex de genu

genu veneratus, maiorem ex abdito occulti Numinis reuerentiam intendit! Exinde ad extremæ luctationis certamen vltimum perunctus, libens & constans, commune admisit fatum. Heu! improspera fortunato Victori statiua! In Arce Pauolociæ febrili oppugnatus tormẽto, *tandẽ septimo lethalis obsidij die, ad vltimæ necessitatis deditionem compulsus, Deo ac Æternitati Heroum auidæ in prædam cessit.* Prô fatalem, tàm caro capiti Augusti falcem! Nec mora, dato lugendi clasſico, ab vniuerso Exercitu, Patris nomine comploratus, effusâ virtutum commiseratione, dolorem exciuit Patriæ, suas erepto in Hectore spes & vota plangenti.

Si militaris rei scientiam exquiras, peritissimus,
Si fortunam vbiq; obsequentem, felicissimus,
Manu, Consilio, Auctoritate,
Miles, Tribunus, Imperator.
Bellorum quibus interfuit, præfuitque varietate,
Victoriarum quas obtinuit multitudine,
Animi quâ erat in periculis eminentiâ,
Magnis armorum Ducibus, meritò asserendus.
VIATOR.
Spolio Parui Cineris,
Ingentem animum ne metire.

Statu-

Staturâ non excesserat Alexandrum,
Fortitudine æquârat.
Maior eâ parte, magni nominis Macedonico,
Quòd, cùm ætatem victoriis distingueret, vt ille,
Triumphos, amicorum cædibus non turpâsset:
Congruentius benignitati suæ ducens,
Creare Clytos & Parmeniones, non mactare.

Horum contemplatione Te à luctu reuoca Præalti sanguinis Heroina, GRYZELDI CONSTANTIA à Zamoscie WISNIOWIECIA, triste Fatorum diuortium, maritalis gloriæ consortio sustenta & solare. Orbitati Tuæ par remediũ ab hac maris animi (qui tuus est) excellentia require. Mauortia ZAMOSCIORVM è stirpe, ita orta es, vt altera Amazonum Camilla, altera Romanorum Clælia credi possis. Concurrentibus certatim infortunijs, collectas in Te Heroidum virtutes oppone, *Breuibus momentis summa verti posse*, non hâc primùm didicisti è clade. Ad Gentilitias cognati SHARI HASTAS, quartum hoc domestici mæroris telum adde. Habes tenesque, viuam in superstite Filio, imaginem victuri Coniugis, seu amoris, seu doloris pignus. Age cultu & animo lugubrior Artemisiâ, virum non ignauo questu prosequeris, quia in prosecutione Victoriæ, à se partæ, extinctum. Dum enim fumantes adhuc belli faces

ces, reliquo hostium cruore extinguere contendit, continuo & ipse curarum æstu consumptus extinguitur, aliam alibi orsurus Famæ telam.

Lugete Regni Ordines,
Publicis vtilitatum studijs immortuum Achillem!
Nec aliter WISNIOWIECIVM decuit,
Quàm in Regiæ Commissionis munere obeundo
O B I I S S E,
Decimo septimo Kalendas Septembris,
Anno salutis restitutæ MDC. LI.
Ætatis bono publico exactæ XXXIX.
In medio victoriarum & Fortunæ cursu,
Operosâ vitæ militiâ perfunctus,
Emeritis gloriæ tot stipendijs,
Soluit Baltheum,
Posuit gladium,
perpetuò
TRIVMPHALEM.

Non ergo perpetua Principi fama, sed bona concupiscēda est: Ea verò, non tam statuis & imaginibus, quàm meritis, & virtutibus prorogatur. Secund. Panegyr.

INSCRIPTIO SEPVLCHRALIS

In Funere Illustrissimi & Excellentissimi Principis

D. GEORGII OSSOLINSKI COMITIS De Tęczyn, S. R. I. Principis, Supremi in Regno Poloniæ Cancellarij, Lublinensis, Lubaczouiensis, Bohusłauiensis, Brodnicensis, &c. &c. GVBERNATORIS.


Inter lugubres Apparatus, Oculis & Animis Legentium & Lugentium, propoposita à Sendomiriensi Soc. Iesu Collegio

Anno Vniuersalis Iubilei, M. DC. L.

G. O.

S. R. I. P.

R. C.



Mortis decus, publica mæstitia, *Titus Liuius.*

Res in exitu æstimantur, & cùm abeunt ex oculis tunc videntur. *Fam. Strada Dec. 1.*

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM D. ADAMVM GEORGIVM de OSSOLIN, OSSOLINSKI, Gubernatorem Lublinensem.

C*Ommunis Patriæ comploratio, Tui, atq; adeò & nostri doloris argumentum est,* ILLVSTRISSIME

DOMI-

DOMINE, *Fatalis illa mortalium necessitas, cùm & Regni annulum Supremo Cancellario, nec non & Gentilitiam Securim Tuo Patruo excussisset, omnium animos vno impetu concussit. Illustris quà genere, quà virtute* ASCIA *exoculatum monstrum illud adeò non præstrinxit, vt infamem etiam tot cladibus falcem, nobili ferro cominùs opponere ausa, Tanto demùm Principi, mortuale erexerit suggestum, simulq; metam præfixerit, ad quam omnium dolores collimarent. Nobis equidem debita in Heroem hunc imperauit obseruantia, vt ad communem luctum, lugubri obsequio è vicinia accederemus. Ita nimirùm, vel post fata, efficacem Maximi nuper Oratoris Suadam experti sumus, vt, cuius elogium orbis est, calamos quoq; nostros, in sui venerationem animaret. Os certè illud, & SOL Patriæ OSSOLINIVS iure suo exigebat; noster vt illi Tullius parentaret, à quo Ciuilis Eloquentiæ formam transsumpserat; ab hoc verò, lucem splendoremq; mutuaretur, vel post fata. Ac vtinam lætioris argumenti liberalitas, tenuitati nostræ consuluisset. Nunc verò idem eloquentiæ leges, qui Sarmatiam confudit dolor: ita tamen, vt tumultuario operi, facilem apud Te aditum persuaderet. Muti Characteres* PATRVVM TVVM *loquuntur, cuius Nomen & cum parte Honoris ad Te hereditario planè iure transiêrunt. Leges eum oculis, quem animo induisti; Magnusq; Maximi Patrui Nepos, ita in præclarè facta immigrabis, vt imiteris. Nos Sepulchralẽ hanc*

 Inscriptio-

Inscriptionem non tam prælo, quàm Virtutibus Tanti Viri expressam, Tuo Nomini & dolori deuouemus.

I.

ÆTERNO DOLORI

Sacrum fixumque

Sta & præsta Marmor.

GEORGIVS OSSOLINSKI,

DVX IN OSSOLIN, S. R. I. PRINCEPS,

Antiquæ Nobilitatis nouos Titulos

Domi promeruit, foris accepit.

A Pontificia altero, altero ab Imperatoria Maiestate

Vtroque à Virtute auctus.

Felix in quo ornãdo Summi terrarum Principes decertarent.

VRBANVS VIII. FERDINANDVS III.

Duo Sacrorum Armorumque Numina,

Geminos illi afflauêre Honores.

Peregrinos caue dixeris:

Hereditariâ dignitatum in domo

Vel aduentitij Honores nomen mutant & cultum.

Nulla gloriæ possessio extranea est Virtuti.

A prosapiæ vetustate eum frustra laudaueris,

Cui generis antiquitate antiquior est sua Virtus.

Solum nascendi ordinem si excipias, maior suis Maiorib9,

Gloriâ, opibus, eloquentiâ, rebus gestis.

Extra-

Extraordinarius ad Principes Europæ Legatus,
Extra fines Regni persæpè,
Nunquam vltra decori limites processit.
Amor & deliciæ Regnorum,
Quò faciem non potuit, famam per ora hominum inuexit
Angliâ, Italiâ, Germaniâ, Gallijs peragratis,
Amplitudinem Poloni nominis circumlatam extendit.
Magnificentiâ supra alios, non supra fortunam progressus,
Pacatos triumphantis Romæ innouauit splendores.
In Vrbem Orbis Principem plausu ciuium illatus,
Deuinctos humanitate animos in triumpho duxit.
Gentilitiæ illius ASCIÆ, fasces Romulus,
Numa oleam, Consul submisit Secures.
In Principe gentium auditorio
Polonum Cyneam audiri par erat.
Eximius planè à persona sua Orator,
Quò plura in se Tullii decora colligeret.
Orationis maiestatem oris dignitate amplificauit;
Ad elegantiam eruditi moris natus factusque,
Aduersa Orbi nostro præiudicia
E iudicijs nationum expunxit.
Studiorum primordia Pultouiano auspicatus in Collegio,
Currentem vltro indolem, laudum calcaribus impulit.
Illud præcauens: ne, præpostero nomine & Numine
Nymphas inuocaret pro Musis.
Probatâ primùm SIGISMVNDO III. indole,

Inter intimos Aulæ Regiæ poſitus,
Ad inania officiorum aucupia delapſos
E faſtigio altæ mentis (citra faſtum) deſpexit.
Nihil per iram aut cupidinem ſolitus aggredi,
Auctoritati pretium, dictis fidem emeruit.
Cùm omnia Aulici myſteria vnus probè calleret,
Inimicas Virtutibus libenter ignorauit artes.

II.

Alia eius Acta, ſub V*LADISLAO IV.* & I*OANNE CASIMIRO.*

Secutus ad caſtra VLADISLAVM Principem.
Sub experientiſsimis militiæ magiſtris,
Armorum & gloriæ tyrocinium poſuit in Moſchouia;
Vbi immiſtus oppugnantium ardori & machinis,
Ictum lapidis aduerſo pectore excepit;
Cœlo teſtatus aperto:
Polonis æquè ac Spartanis pro muro pectus eſſe.
Ad metas extremi diſcriminis adductus,
Incertos Martis exitus,
Certo propemodum exitio approbauit.
Expeditionem bellicam, Legatio Anglica,
Hanc Florentina, Veneta, Imperialis conſecuta,
Romana, omnes iure gloriæ anteiuit.
Ad regni Ordines honorariâ miſsione functus,
Mentes Procerum flexaminâ ſubegit eloquentiâ.

Tunc

Tunc potiſsimùm Princeps Sacri Imperij,
Cùm in animos Imperium,
In Honores Principatum exercuit;
Quorum illud copiosè loquenti Sapientiæ,
Hunc meritorum Excellentiæ debuit.
Memorabili in Ducalem Pruſsiam excurſione,
Regiomonti, Regiæ mentis interpres fidiſsimus,
Eius arbitria pro imperiis, iuſſa pro oraculis habuit.
Ita ille Regum prælargus æſtimator,
Maieſtatis nomen (magni nominis Legatus)
Cùm penitiùs pernôſſet, tractauit generoſiùs.
Si experientiæ ratio poſcitur, verſatiſsimus,
Si peritia iuris Patrij, ſcientiſsimus,
Si negotia Dominantium, paratiſsimus.

Eapropter

Nihil non eius meritis tribuendum rati Principes,
Sua in eo beneficia, haud quaquam expauêre.
Niſi quòd & ipſe, è modeſtiæ præceptis,
Nec vanè oſtentabat Principi obſequium,
Nec occaſiones præterijt obſequendi.
In Ratisbonenſibus Comitijs, Legatorum Princeps,
Imperij Septem-Viris *VIR CONSILII* viſus,
A FERDINANDO III. Romanorum Imperatore,
Sacr. Rom. Imp. Principibus aſſeritur,
Nec importunus accerſendis nominibus,

Nec

Nec impar oblatis.
Sandomiriensi mox Palatinatu ad se perlato
Quem absens non quæreret,
Quæsitus peregrè est ab Honore.
Mens & Os Principijs vt esset,
Suo CANCELLARII ex munere accepit.
Extemporalis vt plurimùm Orator,
Meditatas aliorum disceptationes vel æquauit, vel vicit.
In turbidis Comitiorum fluctibus,
Malaciam sæpè attulit sui vnico interuentu!
Diserta causarum iurgia vel ideò rescindens:
Quòd nihil præter tempus rixæ lucrentur.
Spem & Metum, duo Consultantium detrimenta,
Procul habuit à Consilio Bonæ Mentis.
Ad vsum rerum quàm ad speciem attentior,
Tuta ambiguis, vtilia arduis anteposuit.
Difficillimas Reipub. controuersias facillimè expediens
Prouidit, ne suo careret Nestore Agamemnon.
Gratiarum Priuilegijs annulum ita solitus apprimere,
Vt Nobilem Libertatis gemmam non premeret.
Pupillorum quiritationibus ex facili acclinis,
Nemini, dicendæ causæ potestatem ademit.
In cognitionum copia, fastidio inaccessus:
Integritatem iudicij, nullâ corruptione passus diminui;
Medius partium, amicâ medij consistebat virtute.
Veritati amicior quàm reo supplici,

Arma-

Armatam Securi suâ Iustitiam intentabat.
Credo, ne Liuianæ pateret Censuræ
Apud quos gratia vim æqui habet,
Hominum non causarum toti sunt.
Illo arbitro Belli ac Fœderum sancita Iura,
Compositæ seditiones, firmata pax,
Leges conditæ, Regum connubia procurata.
Arcanorum omnium conscius & transactor,
Illud fidei, hoc industriæ suæ obtinuerat priuilegio.
Pacis, quàm belli artibus clariorem quòd videas,
Alto Regni otio imputa,
Remedia Sapientiæ præ armorum studijs eligenti.
Æque acies in campo instruere,
Ac Sententias ordinare in Curia, Virorum est.
Præterquam, quòd Sallustij effato,
Admirabilius: ingenij quàm virium censu gloriam quæsisse.
Magnus vel ipsâ hostium confessione Cancellarius,
Ad Zborouiam, bellicæ tempestati solerter occursans
Periclitantem, duos inter scopulos, nauem Patriæ
Remis Consiliorum promouit
Ad promontorium Bonæ Spei.
Tunc si aliàs Prudentiæ palmâ potitus,
Infractâ barbarorum in manu laureâ
Hostilis Victoriæ conclamatur Victor,
Translato in rem, è sensu veterum testimonio:
Posse inermi Consilio, armatam vim euerti, aut auerti;

CHMIELNICIO virtutem admirante, quam odiſſet.
Si laborum contentioni non ſuccumbere, Heroum eſt;
Herois magnitudinem, is vel attigit vel exceſſit.
In bello, idem actor Conſilij, qui & auctor
Quanti Salutem publicam duceret,
Dato in obſidem Genero, palàm fecit.
Paucorũ eſt: Securitatẽ Reipub. ſuorũ periculo paciſci.
Magnorum comitem inuidiam,
Plerumq; temperatâ morum comitate,
Interdum, ipſo Venerabilis contemptu tranſmiſit.

III.

Eius Pietas tùm in Parentes, tùm in Cœlites: Et Mors piè obita.

Parentibus deuinctiſſimus vel poſt fata,
Quò eos amori ſuo ſuperſtites monſtraret,
Excitatis dolenter Exequiarum parentalibus,
Matre ad auguſtius monumentum tranſlatâ,
Imitandam pietatis metaphoram Poſteris fecit.
Mox in ſimili Virtutis allegoria perſiſtens,
Maternis à cineribus, ad Sacra PII Martyris Lipſana
Apparatiſſimè deducenda progreſſus eſt:
Quem, ditionis paternæ Sacrario illatum,
Suæ Suorumq; Clientelæ præfecit.

Nec

Nec propterea, quòd Beatorum, Exuuias collegiſſet
Minùs in miſeros hoſpitalis exſtitit:
Quippe in ſolatia calamitatis alienæ,
Opportunum ſua in Vrbe molitus Prytanæum eſt;
In quod, vicatim conquiſitos egenorum cætus,
Nouam Cælo inducturus coloniam, introduxit.
Eosdem, illatis à ſe epulis lautè habitos,
Veſte auroque donatos, reliquit inquilinos.
Vt qui iam diuinæ libationi menſas
CLEMENTOVIANA poſuiſſet in Baſilica
Idem ærumnoſæ mortalitati triclinia apponeret.
Non aliâ tam luculenti hoſpitij mercede:
Quàm in ipſum rerum fontem, fuiſſe munificum!
Magnæ MATRIS amores in morem ſibi vt abirent,
Longâ ſalutandi precandique aſſuetudine peruicit.
Eius ſacram famem, pridianâ in ſe alens inediâ,
Appenſis è Votorum conſcientia donarijs,
Veram Sarmatiæ propitiabat Fortunam;
Solum eſſe tutum honeſtumque dictitans
Ad ARAM PVBLICI PERFVGII receptum.
Illuſtribus alioqui prodigijs CLARVM MONTEM,
Clariorem auro argentoque ſuo reddidit:
Vbi & ſuæ fidei adhibens teſtes tabulas,
MARIANÆ Beneficentiæ Titulo ſubſcripſit.
Virtutem ex Patre, verumq; laborem edoctus,
Dum operoſa artificum fatigat ingenia,

Templũ, peregrino ſtructum opere, locauit ditauitq́;
Prælo alibi & ſtylo, ſui vultûs imagine,
Hîc marmoribus, & pectoribus inſculptâ,
Auitæ Religionis reliquit Ideam.
Poſtmodum, facturus operæ literariæ pretium,
Iuuentutis, bono publico formandæ percupidus,
Simul deſideria in animum, ſimul manũ in opus immiſit;
Dum BIDGOSTIANI fundamenta Collegij
(Architectante ASCIA) à Domo DEI exorſus,
Illuſtre magnorum operum rudimentum inſtituit,
Suæ & Noſtræ iam Fortunæ Auctor:
Illic poſitus, vnde elargiri multa poſſet,
(Nouo largitionis inuento) ſacras Mendicantiũ familias
Ad inſignia ſui muneris, nec rogantes, admiſit:
Quando Sigilli maioris curam ad ſe duntaxat,
Fructum ad illos pertinere voluit.
Sic & Honores in alimentum Gloriæ,
Et fortunas in leuamentum egeſtatis vertit.
Raro continuatæ felicitatis exemplo:
Regnatricis domûs occupata ſemel iudicia,
(Pari potentiæ ac fauoris exitu)
Ad ætatis propè flexum, indeflexo perduxit vigore.
Fuerit alijs difficillimum, Mortem in Vita ordinare;
Noſter hic, Conſtitutâ priùs affectuum Republicâ,
Curas omnes, ad vnam animæ tranſtulit Oeconomiam.

Ipsâ gloriæ satietate, aulæ frequentiam fastidiens,
Eam subinde asceticâ Carmeli solitudine temperauit;
Vt qui semper Patriæ & ciuibus,
Interdum sibi vacaret in recessu.
Calculum cum regno & cœlo suetus ponere,
Dati, acceptique rationes, æternis expendit.
Per hebdomadæ Sanctioris lugubre triduum,
Intra diuini lateris prærupta abdebat sese:
Non ante emersurus è latebra Christianæ mæstitiæ,
Quàm triumphantis à Ligno Dei, exaudîsset Pæanem.
In hoc, VLADISLAO IV. Consatalis videri poterat,
Quòd Posteritati suæ, se solo sufficienter prouisurus,
ProFilio,FamamreliquîssetPosthumam.
Princeps Rom. Imp. cum Regni Princ. SIGISMVNDO
Pari fatorum dierumque coniunctione,
*9. Augusti. *Demessus in Augusto est.
In procinctu Romani itineris,
Pia inter desideria *SANCTIORIS ANNI*
Pænè in PORTA AVREA intercipitur.
Viæ ac Vitæ finem facturus Viator,
In sinu Patriæ, ægrè spirantis, exspirauit.
Anno Viuentis DEI Hominis, MDCL. V. Idus August.
Ne tu Liuor improbè
Manes & Vmbram Viri Principis insectare.
Expensum in Publicæ rei commoda spiritum

Collige potiùs, & disce:

SEPVLCHRA PRINCIPVM SCHOLAM ESSE.

APOSTROPHE AD ILLVSTRISSIMVM NEPOTEM.

Leges in hac veluti tabula dolorem nostrum, quem tamen sic in chartam effundimus, vt maior sese cohibeat intra pectus. Ita nempe communis hæc lugendi necessitas vniuersos peruasit, vt absq; sui decremento singulorum animos impleuerit. Præalti ruina fastigij etiam Sendomirianas concussit Musas: Tullium præsertim, qui parentalem OSSOLINIO *suo, iure debebat Eloquentiam, in quo vno, qualem ipse votis tantùm destinauerat Oratorem, recognouit expressum. Quòd si:* Tunc veris lacrymis defletur clades publica, vbi cum domestico funere, iuncta est, *Vide* Illustrissime Domine *an non Tuo potissimùm dolori* SEPVLCHRALEM *hanc* INSCRIPTIONEM *inscribere debuerimus? Eius quippe Magnis Cineribus iusta persoluimus, apud quem Tu in nomen & affectus Filij immigraueras. Suarum ille Te Heredem Virtutum bono publico reliquit: quas cùm in lugubri hac pagina legeris, earum recordatione, magnos ad summa quæq; spiritus accipies, simul & dolorem temperabis.*

ROSA
INTER SPINAS DIVI BENEDICTI EFFLORESCENS,
ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI,
D. STANISLAI PSTROKONSKI,
Episcopi Chełmensis, Administratoris
Abbatiæ Tynecensis, &c.
Anno à florido Partu Virginis, M. DC. XLVIII.

S.  P.
E. C.

ALBA ROSA IN CAMPO RVBEO.

Quòd ROSA PSTROKONII, purâ niue purior albet:
Concolor est Domini moribus iste color.
Quòd rubet hostili campus de cæde: ROSETA
PSTROKONIDVM, Marti noueris esse sacra.

ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE.

DE *Rosis coram Rosino perparcè locutus, floridum Tuo nomini argumentum inscripsi. Quid enim ampliùs reponerem Pontificiæ comprecationi Tuæ, quam mihi nuper, sub exordia anni, impertitus misisti.*

sti. Non sterilem, quia excepta animo, non tam in verba, quàm in vota & omina excreuit. Inter *Missilia Xeniorum, an mitti potuit Celsitudini Tuæ quidquam cariùs Rosâ Aureâ? pleniùs Plenâ? puriùs Candidâ? securiùs inermi? ornatiùs Coronatâ? Adde quòd ad Ianuarij Kalendas, eam tinxerim* IESV *purpurâ, quò, salutarem alioqui, medicarer Infantis Dei cruore. Propè inter Natales VERBI cunas enascitur flos florum, vt cum fęni stipula, in manum sese Diuinam insinuet. Sunt, qui Tua primum illud mirentur in Rosa, quòd cùm natiuis careat acuminibus, tamen acuat Oratorum calamos. Nec propterea licentiore ausu in Tua inuolaui Rosaria, quòd horrido spinarum vallo improtecta, oculis pateant manibusq́. Leguntur tutiùs quàm carpuntur aut metuntur hæ Rosæ, quarum folijs inscripsi vel Tua vel Tuorum facta. Liberaliùs præ alijs* MATHIÆ PSTROKONIO *Regni Cancellario inhæsi, in quo feliciorem Tuæ indolis imaginem recognoui. Sacras Ciuilibus Rosis permiscui, ne sic quidem amissuras pretium & ordinem dignitatis. Opus haud erat secernentis delectu, vbi omnes & singulæ etsi discolori elegantiâ, tamen ornandæ Patriæ conuenirent.* O te, *Sarmatia hospitalem ex eo potissimùm, quòd* PORAVIANÆ *Rosæ manum porrexeris amicam: rata futurum è re Imperij, si Regalia Heroùm insignia, tuo florescerent in Regno. Agnouisti expositum ab altero videlicet Astyage, in media calamitate Cyrum. Et verò non agnosceres, alti sanguinis propaginem è flore? candorem ex vultu, vete-*

rem

rem Regum fortunam ex insignibus? Nullum illo maius à Bohemis pignus accepimus, fouere nescientibus Rosam, foris excolendam meliùs quàm domi. Vtinam & ego gratiarum hoc munus non exasperem tractatione subhorridâ. Sentiuntur Rosæ gratiùs quàm calamo premuntur. Tua verò Præsul Illustrissime, *vernat pulchriùs in memoria Reipub. quàm in hortulis Tusculani. Itaq; illius candorem sic attrectauimus, ne incusso pudore læderemus verecundiam. Nesciunt mansuetiores Musæ quenquam pungere, quod ipsum inermi & candida* Buzeniorum *didicêre à Rosa. Si quid tamen è florum Principe, styli audaciâ detritum est, consultâ Indorum Sapientiâ, Rosas afferam offeramq;, Rosæ Heredem placaturus.*

ORIGO STEMMATIS EIVSq; AVCTORES.

ROSAM PSTROKONIORVM
A stirpe si inspexeris, Romana est.
Romæ nasci prima illi gloria, sed non sola,
Patriam Italiæ, coloniam Bohemiæ, Poloniæ sedem debet.
Florum Domina,
Communi cum terrarum dominis potita dominatu est.
Sed exactis Româ Regibus, locus Reginæ quî esset?
Nomen Regium nec in flore ferri potuit
Thuscis finibus cum Rosino cessit vltrò:
Detestata magis, quàm verita falcem Tarquinij,
Perinde papauerum colla ac Ciuium demetentis.

Peregrinantem ex Latio
Bohemus accepit hospitem, vt eijceret;
Rosembergius adsciuit vt affinem,
Porauius vt gentilitiam coluit,
Lechus vt indigenam adoptauit,
Honorariam reddidit
Boleslaus Chabri.
Gratulatus regno Rosas
Et delectare & prodesse natas.
Accessit ad Coronam, coronata de suo.
Spinis vacua est, quia & curis;
Quarum omnes ad rem publicam transtulit à priuatã.
Vel idcircò horrentibus non armata aculeis,
Quòd securiùs sit, munimento non egere.
Ita liuor prosperis inimicus,
ROSINI in Rosa, nil præter vepres, arrosit.
Hoc vno fortasse infelix ROSEMBERGIVS,
Quòd spectârit Rosæ excidium in Fratribus Adalberti.
Sed fatale est PORAVIORVM Rosæ,
Etsi sanguine perpluat, candorem non amittere;
Quod hactenus erubesceret, nihil habuit,
Nec illi patria, nec illa patriæ probro fuit.
Nihil olere vt bene oleas,
Hominum laus est non Rosarum:
† *Quæ sine odore sunt in coronam non adduntur.*

† Plin.

Et hæc formosi floris elegantia
In contentionem gloriæ prouocat Salomonem.
Flos ROSEMBERGII, solis malè olet Sectarijs:
Quòd, Romana inuolantes in Rosaria,
Ad Augiæ stabulum pepulerit scarabeos.



Osas humano sanguine propagatas, non omninò iam fuerit fabulosum, *Illustrissime & Reuerendissime Antistes*, ex quo BVZENIAM PSTROKONII Rosam cernimus, vel natam Diuorum sanguine, vel renatam. Etsi enim natali solo vt feliciùs proueniret, trium concursu fluminum allueretur, multò tamen generosiùs effloruit imbuta sanguine Adalberti. Venustatis & gratiarum compendium, tam cari capitis impendio constitisse oportuerat. Nemo idcircò iustiùs Rosas loquitur, quàm qui Tuas; nemo tractat securiùs quàm Tuas. Nam nec taceri æquum est, vocalissimo educatas cruore; neque timeri, consumptis ætate aculeis, iam inermes. Quod si ingrata de Rosis Oratio esse nequit; si suam nullis in manibus amittunt suaueolentiam, quid adhuc dubitarem odoratissimi floris candorē sinceritate imitari. Adeò non in oculos tantùm, sed in animos quoque blandum exercet imperium ROSINORVM Rosa! vt liqueret Orbi: eam aliquando in Hērico Romanorum Imperatore imperâsse, regnauisse in Otthone Magno, tenuisse in Vrsino principe principatum. Est videlicet aliquid: ortum ducere ab Optimis & Ma-

ximis. Niſi quòd peculiare ſit PSTROKONIORVM Roſæ, maieſtati amænitatem, purpuræ præhabere candorem. Natiua hæc elegantia, nullum in ſe adſcititijs coloribus locum fecit. fucum & ceruſſam non admiſit, ne non ſuis & ſuorum laboribus coronata, pulchritudinis affectaret regnum. Quid autem extraneæ opis egeret lenocinio? nata ornare cæteros non ornari. Miſera florũ conditio eſt, vbi, quod in æſtimationem veniat, præter folia & colorem, vix reperias. Ita quidlibet ab animo referunt ad illecebram oculorum. quaſi idcircò magnificæ viriditatis pompam inſtruant, vt temporariâ oſtentatione ambitioſiùs cum tempore defloreſcant, excuſſâ foliorum luxurie inutiles & ingrati. Nihil in Tuum, *Illuſtriſſime Domine*, florem licuit fatorum licentiæ. Tam enim plenè exegit annos, vt annales impleuerit: tàm integrè, vt nihil de illius integritate ſecula delibauerint. Delibarent autem carperentuè? ſacram in Martyribus, inauguratam in Gaudentio, in Heroibus vernantem, in Regibus adoratam. Fecerint Romani celeberrima Roſarum genera: Tibi nec placere poterat Campana, quia præcox; nec Mileſia, quippè ſera; neque Græcula, quia naſcenti ſemper ſimilis, niſi manu coacta non dehiſcit: Tuæ ſimilior eſt, quæ nouiſſimè deſinit Preneſtina. Nam Alabanica, Trachinia, vel ſi quæ minorum gentium roſæ emicant, in PSTROKONIANÆ comparationem ſe non addent; quòd cùm naturæ curſui præcurrant inſolen

solenter, ocyssimè sed non optimè adolescunt. Cucurbitarum ea est ambitio, leuissimè inflari vt celerrimè detumescant. At Rosis Buzenij paulatim succrescentibus, & suâ ipsarum indole coronatis, quantum gloriæ temperamentum obtigit! Non illæ præuertunt tempora, ne iniuriâ temporum euertantur. Præcellunt ortu lilijs, quia & conditionis eminentiâ. Rectè, dum vernare incipiunt Lilia, hæ autumnant; vt quam priùs nascendo vitam hauriunt, eandem citiùs humano generi impertiant. Debemus hanc PORAVIO gratiam, quòd germanas ADALBERTI Rosas Poloniæ intulerit, alteram hîc sibi patriam condituras. Hinc diffusi per tot stirpes rami: hinc noui surgentesque fætus; hinc assertæ consertæque familiæ, hinc adoptiui latè surculi, in Roseas famæ & generis prouenêre colonias. Ortæ stirpes è stirpibus, honoribus aucti honores, interque illustria natalium confinia, fasces cognatis fascibus cohæsêre. Iam patritias, iam equestres, iam Senatorias, paci & bello vtiles contuemur rosas: in toga candidas, in sago rubentes, nec in purpura delicatas. Fas non erat ADALBERTI sanguinem fuisse infecundum in Rosis: quarum illæ armis, istæ aris impositæ, galeas & infulas impleuêre, vt raro consortionis fœdere, mites inter & seueras animas mediæ, hinc Palladi suam dicarent operam, hinc Bellonæ: quæ dissita officijs numina, solis boni publici vtilitatibus fæderantur. Vidimus olim vidimus, è pacatis Musarum

classibus, ad classica digressas Rosembergij & Rosini Rosas. Pulchra sanè lenitatis cum seueritate dimicatio, de immortalitatis priuilegio. Quàm aptè hîc, insinuas te fidelem in memoriam, ROSEORVM vernantissime PORAVI, si tamen insinuatione opus habeas, apud animos tot seculis occupatos, apud aures ad tua decora arrectissimas? Tu, qui iure bellico, famæ negotium vbiq; egeris, vbique viceris, nusquam triumphaueris; patiare hæc saltem tuis opponi, quæ tu idem in totius Poloniæ oculis posuisti; eo fidei candore, qui Tuam addeceret Rosam, eâ integritate, quæ Diuorum sanguini conueniret. Præstitisti enimuerò primus, ne magnoperè miraremur, Rosas florere inter arma, durare inter niues, proficere ustione, cùm Tu consanguineâ Tuorum è clade nihilo conterritus, inuictam conscio Imperatori sic probâsti fortitudnem, vt in te Ducis prudentiam, robur militis, aulici ingenium suspiceret foueretque. Sufficiat splendidè fortibus prospexisse castra, breuemque militiam quasi transîsse; PORAVIO ad numerosam generis gloriam, perpauca meritorum stipendia qui sufficerent? in tantum bellicis innutrito alimentis, vt præ illis omnem aliam voluptatem fastidiuerit, frugalitatem posuerit in delicijs, famem inter opsonia reputauerit: quòd intelligeret imbellium esse, lautitias curare sub lorica, belli orbitam orbe saltatorio confundere, risu iras, Pæanem symphoniacis, classica emollire cantu. Vocem Iulij Cæ-
saris

ſaris accepimus: *Milites ſuos etiam vnguentatos pugnare poſſe*. Tumidè id quidem & ex victoriæ genio inſolenter: meritò auerſâ aure audiendus PORAVIO, nihil vſquam agente, aut probante, quod à ſeueris belli vſibus & diſciplinæ veteris præſcripto diſcederet. Malebat abſens abſenti patriæ ſalutem è caſtris mittere, quàm feſtinatò emeritus manumitti. Ergo his moribus, hâc virium firmitate, hâc in periculis perſeuerantiâ, poſteros in ſui commendationem non exciret? hoc inſuper nomine fortunatus, quòd ſibi ad numerandas pro Republica cicatrices, cum Otthone Boleſlaus, idem laudator contigerit, idem teſtis. Nec aliud egiſſe tunc exiſtimem Bohemorum inclementiam, quum cæſis quinq; fratribus ADALBERTI, ferro & igni in reliquias PORAVIANÆ graſſaretur familiæ; quàm vt ipſis è cineribus roſas proliceret, à ferro & reciſione pleniores. Age, (quando ſemel fiducia noſtra, gentis Roſeæ irrupit Viridarium) paucas hinc delibemus roſas; parùm anxij, vt quæque in manus veniat, quouè, ordine decerpatur. Par eſt honoris omnibus, & vna ſanguinis claritudo. Occurrerint primi Buzenii qui & Pſtrokonij; inde Kurozwęcij; Michałowſcij, Izbienij, Gruſzcinij; excurram illicò Venerationis in officia. Occurrerit memoriæ atque oculis Kurozwęciæ plantationis ANDREAS ROSA? legam protinus Virili inſcriptam nomine, vel è Græcorum teſtimonio. Colligam victricem in VINCENTIO KADŁVBKONE

KONE Rosam, eò sublimiorem, quò profundiùs descendentem in se, securiùs ad maturitatem Virtutis intra septa Cisterciensis hortuli accessuram : Cracouiam Andreouiâ, egestate maiestatem, frequentiam solitudine commutantem Neq; sic tamen solitariam; quia literas admisit in cubiculum, quæ è naufragio enatant, sequuntur exulem, in media captiuitate non captiuæ. Rectè *Centifoliam* Vincentij Rosam dixerit, quisquis prima illius historiæ folia saltem attigit. Suspiciam in sublime elatas Regni principes & Primates Rosas, primo in subsellio Castellanas, in Regni ærario aureas, in exercitu Generales, in castris & arcibus Capitaneas, in territorijs & tentorijs conscriptas, in acie militares. Macte hoc sanguine, hâc & victoriâ, quam re & nomine præstitisti NICOLAE PORAVI, qui dum vetusto Regum Haliciensium propugnaculo impositus præsideres, probaturus cælo campestrem Rosæ indolem, è mænibus, patentissimum Daciæ prodijsti in campum, morte immortalitatē licitaturus, eòque nec in ipsa hostium æstimatione moriturus, nec in fastis. Cecidit vnà tecum Petrus Odrowazius; seu quòd consociari decora pulchrum sibi, seu quòd à tantæ fortitudinis contubernio abstrahi, morte ipsâ acerbiùs duxisset. Quantus es NICOLAE MICHAŁOWSCI Vir ab vtraque fortuna Illustrissime! Luculentius magnitudini Tuæ testimonium, ne exspectes præ illo, quod à Marte primùm, *ex acie optimum quẽq;*

pigne-

pignerante, deinde à VLADISLAO IAGELLONE, non sine suffragijs Ordinum retulisti: qui te, velut alterum bello Mithridatico Pompeium, incredibili consensione electum voluêre, vt Theutonicæ expeditioni Dux præesses & auctor; cùm antehac floridi roboris ætatem Roseam bellis Moschouiticis, Tartaricis, Bulgaricis attriuisses, vt omni sæculo agnoscere potuerint suam Romani prærogatiuam, in Romano vtique ROSINO, eiusq; Minoribus, agere natis fortia & ardua quæque pati. Non ego te PSTRONIANÆ Principem familiæ à tui incremento sanguinis abstraxerim, IOANNES PSTROKONI. *Vnum quippè est idemq; virtutis officium.* Est quod continuæ Tuorum prosperitati, est quod prosapiæ gratulêre, cui veterem fortunam cum priscæ nobilitatis insignibus transmisisti: nouum à loci genio sortitus cognomentum, vt in auitæ hereditatis diuisione, fieres non tàm paterni nominis, quàm virtutum heres. Accedere hoc solum, ad auream gentilitiæ Rosæ sortem potuit, vt decoro belli puluere adspersam, non iam triplici fluminum interuentu, sed cruoris tinctam purpurâ nepotibus traderes, vel gloriæ irritamentum, vel amoris. Crediderim ingemuisse tuo casu (quo Casimiri fortunam fulcijsti) Mathiam Regem Pannoniæ, positâque hostilitate inuidisse veriùs Tuæ fortitudini, quàm eidem ignouisse; certum (nî fallor) gentis Pstrokoniæ Rosam Auream, Hungariæ, hoc est *POMO AVREO*, benè per omnia

responſuram fuiſſe, ſi diutiùs, Vitæ & famæ ſpatia proferre potuiſſet. Nec Patriæ ſaltem, ſua Cæleſtibus ingerenti vota, permiſſum eſt, pro te diutiùs timuiſſe, vt eò te dolentiùs lugeret amiſſum, quò alacriùs miſſum in prælia meminiſſet: Quanquam etiamnum tuus, bellatorum Cordatiſſime, in Pſtrokonijs calet ſanguis, olim è cruenta Vratiſlauiæ arena expreſſus. Actum igitur tecum præclarè, cum patria perbeatè, ne totus in fatorum arbitria & poteſtatem abires. Nam *æternam tuæ mentis formam*, & capacem tot operum indolem, in liberis, patrem ſpirantibus reliquiſti: his ex diuturno collectam operoſè, famæ & generis amplitudinem propagantibus, illis nouo niſu gloriam vrgentibus, per itinera Heroibus tantùm nota. Quotuſquiſque illorum, non ſe, aut iuris patritij cognitione, in omnes fatorum vices communiuit? non aut pulcherrimis belli paciſque muneribus perfunctus eſt? planè vt nemo illorum exſtiterit, qui non ex honoribus è ſcena honoratus diſceſſerit. Recenſeat iam Proauiuspoſthumi ortûs Roſas, in tot adoptiuæ cognationis Roſaria excreſcentes. Coronet agmen Roſeum, propaginis Roſeæ ter præſtans, ter & felix Roſa ALBERTVS MĘCINSKI, nec iure ſanguinis, nec ſpecie virtutis ADALBERTO diſcolor: qui tametſi victore ſpiritu conſtitiſſet in portu, tamen etiamnum, ſparſi in mare barbaricum cineres naufragantur. Accepimus ad ſpectaculū illuſtre, domeſticum ad imitationem, Polonum ad gloriam,

riam, exemplum accepimus! Excesſit vir acerrimus, cæli ipſius quantitatem, animo non Dei magis capace, quàm dolorum! Sarmaticæ pullus Aquilæ, vel Iaponici ſolis iudicio generoſus, in fortunæ primùm ſuæ titulos inuolauit, ne ante de barbariâ quàm de ſanguine triumpharet ſuo. Quorſum enim trans æquora hoſtem quæreret, inteſtino domi Annibale necdum fuſo? Heu! crudele obſequium Iaponiæ, rigando præfocantis Roſam! ſed eò gratiùs rubeſcentem, quò eam largiùs violentâ alluuione imbuit ſuus cruor.

ALBERTO MĘCINSKI, Societ. IESV.

De Gente Roſarum.

FRagrantiſsimum naturæ delicium Roſa,
Omnibus exercitata Elementis,
Vt per omnia ad coronam proficeret.
Igne in Bohemia, tellure in Dacia,
Aquis, aëre, Nangazachi.
Quid baccharis lymphata Iaponum truculentia?
Virtutem aquæ hauſtibus non reddes temulentam;
Vota ingeris MĘCINIO non ſupplicia,
Roſæ alimenta admouens in tormentis.
Alitur, dum alluitur ſtirps Roſarum.
Fruſtra obruendæ charitati adhibita aquarum vis.
Dudum & ille, hoc *baptiſmo habuit baptiſari*:

Per tot insulas venalem cælo animam circumtulit,
Mortis Institor pretiosæ,
Quam carò admodùm licitatus est in Iaponia,
Vbi nec frigidam gratis biberit,
Quia purpureæ animæ pretio comparatam.
Ita
Et Noster hic, libatis diu mortibus Mitridates profecit.
Non solùm Tonitrui, sed & Aquilæ Filij
Bibunt Calicem ærumnarum.
Emersit Iaponici maris mergus, in Floridam Bonæ Spei,
DOCVITQVE:
Per frigidam, ad vitæ refrigeria enatandum esse.
Atrox vndarum diluuium vsq; ad animam exundantium!
Sed ramus oliuæ, nisi exhausto diluuio, non affertur.
HEV:
Iaponiæ humanitatem inhumanam!
Inter Sacra amoris febricitanti MECINIO
Lymphas obtulit, vt animam auferret.
Nouo aquarum tormento, nouum exercuit Tantalum,
Vnde ardoris impatientiâ, aquam sitiret inter aquas.
Omnis illi spirandi copia intercepta est,
Quò collectum in se ex diuturno spiritum
Ponderatori Spirituum redhiberet DEO
Tot dierum spatio torquetur, laureâ pariturus ex arduo.
Vitam inter & mortem positus, ab vtraque carpitur;
Fitque lenta crudelitas, violentior violentâ.
Mori-

Moritur quotidie, vt supplicijs superſit.
Nimirùm non facilè exhalant Roſæ animam.
Per ignem & aquam tranſiens, Vir dolorum,
Vtroque Roſas (vt durarent) Elemento acuit.
Sic nauigaturo ad Superos Alberto Męcinio,
† Adalbertus remum Pruſsicum,
Iaponia flumen dedit.

† *Ex ead. linea Roſcorum.*

Quid me verò attinet de RoſisRoſinorum, regnatrice in domo conſitis, diſsitisque per tot plantaria, diſſerere? quid innumeras numerare? aut pulcherrimè explicata Roſæ folia euoluere, quorum *ſine nomine nullum, decidit in terras*, quia vel ſuo inſcriptum ſanguine, vel hoſtili. Nihil in Patricijs PORAVII Roſis non inſigne, nihil in folijs non regale, nihil in ſtirpe non Romanum inuenias, nihil in vſu non ſalubre. An vllum hinc defluxit *Buzeniana Roſæ* folium, quod in ſalutem Reipublicæ non influxerit? Proprijs id imputaret diſpendijs, quod bono publico non impenderet. Olim iam aſſueta in lucro cenſere gratias, beneficentiam ponere in acceptis. Hoc quidem eſt, alienæ prouidendo felicitati, ſuam augere. Veritatis illa vox fuit, non Salluſtij: *Regna & prouincias, eò vſq; proſperum tenuiſſe curſum, dum apud eas conſilia valuerunt.* Velut ſi planiùs monuiſſet: conſilij ſanitate, ſalutem Reipublicæ contineri. Quem in locum poſteaquam deductus ſum, ita menti & ſtylo moderabor

Præſul Illuſtriſſime, vt tamen in defenſione meæ fidei, ſæpè mihi ſint & acta immortalis Patrui Tui, & auctoritas appellanda. Non enim ita ex mortalium collegio exijt, vt è pectoribus quoque Polonorum exierit. Vbi de eius agitatur laudibus, Themiſtocli non ſubſcribimus, artem obliuionis præ memoria eligenti. Malè huic litatur ſilentium, qui maturâ anticipatione, omnium linguas nationum ne taceretur, occupauit; cùm antea eorundem animos ad ſui venerationem inclinâſſet. Ipſa me profectò Curia accerſitum de incuriâ mulctaret, ſi in tam accuratum iuris & legum vindicem iniurius, voci publicæ, Oratoris præconium non adijcerem. Næ, ille omnium plauſus Ordinum conciliet habeatq; vnus, qui ingenitam ſibi Suadam, communem omnibus feciſſet. Vertat aliò ſtylum vates: *Stemmata quid proſint*, hîc ne quærat. Non eſt profectò otioſa floridi generis nobilitas, quæſita multo ſanguine, reperta multo. Patent oculis, patent animis Pſtrokonianæ Roſæ commoda, aras focoſqne circumplexa. Arborem diceres Indicam, tam multiplici rerum copiâ affluentem, *Vt vna ex ſeſe innumeris apta vſibus, nauim inſtruat. Det illa truncum in latera, ramos commodet in remos, comam in vela, in rudentes, in malum aſſamenta, clauos præbeat, fundat oleum, ignibus & hominibus miniſtret alimenta!* De patritio Roſinorum inſigni quid primum enuntiem, quid poſtremum? in quo par emolumenti cum ornamento certamen, ex æquo prima

ambit, in ſecundis aut tertijs non conſiſtit. Vna demùm BVZENII ROSA eſt, quæ non vnius efficientiæ vi prædita: Ornat Cælites, funditur in ſuccos, liqueſcit in remedia, excreſcit in Trophæa, aſſurgit in coloſſos. O ſanè benignioris ſidere cæli rorē! ô Principē plantarum Roſā nec ſterilē hactenus, nec effætam! Quoties Te MATHIA PSTROKONI Regni Supremum Cancellarium, ſaluberrima quæque ſuadentem (quando autem non ſuaſiſti?) Patrum Senatus audiit; toties, iam non inani prouerbio *Roſas locutum* intellexit. Quod ſi conſilij opportunitas, mali aurei in lance aurea, venit nomine, quantò id aptiùs æquiuſque tuæ imputauerim Roſæ *ex vero Aureæ*, quam tot vigilijs & ſudoribus eliquatam, ægrè ſpiranti Patriæ porrexiſti perſæpè: congruum pietati Tuæ exiſtimans; communem omnium parentem communibus obnoxiam ærumnis firmare, labantē, interq; domeſtica defectionis intimæ deliquia languentē refouere non aliundè quæſitis malo remedijs quàm à Roſa. Lugebatur adhuc ſuo coronatus nomine ac virtutibus, Poloniæ Mars, Stephanus Batthoræus; cùm atratam à morte Principis patriam grauior nebula inuoluiſſet. Fuêre è prima Nobilitate, qui conuulsū Reipublicæ corpus, flagrantibus palam odijs diſcerperent, potentiâ & opibus in contentionem adductis: Vter Principum clauo dignior, accederet gubernaculis? motoſque componeret aliquando fluctus? vt iam tūm conſtare potuerit quæ-

ſitum

situm ad Regna Sigiſmundum, ſuos cælo debuiſſe faſces. Per tot ei diſcrimina & obices, Polonæ in Capitolium gloriæ euadendum erat. Cuius id fuiſſet animi, iratis armatiſque intercedere? tumultuantibus immiſceri, iamque ſtrictos propemodùm gladios vaginæ reddere? Cuius porrò auctoritatis? potentiorum audaciæ ac impunitati ire obuiam, empta partium ſtudia,& molitiones diſturbare? Prudentiæ? aditum in animos quærere, ſcenæ ac tempori ſolerter aptari? modò rebellantes, ad deditionem cogere, aliò ſpectantes, aliò rapere, perſonam penè aliam inducere! O humanâ maiorem virtutis confidentiam! ô mentem! ô Virum! Perſuadendum erat pleriſque, res tot tantaſque, exitu diſpares, opinione maiores, vnius dexteritate confieri potuiſſe. I, uiſti contra, vnus omnium gerens regenſque animos quò nec ille flexanimus Pyrrhi Cyneas duci vellet. Euertiſſent hæc alium inimica virtutibus tempora, te acriùs firmârunt. Quòd è plauſu Romani Sapientis didiciſſes: *Non firmam eſſe arborem, in quam vehementior non incubuerit procella.* Hoc demùm eſt: in animam audientium, quin & proteruè obnitentium inducere ſeſe, vt eos, * *& deducere quòquo velis, poſſis, & reducere vnde velis.* Fulmen hâc Roſâ citiùs, quàm lauri obiectu auertiſſet Tiberius. Quantum eſt, ſtrictis enſibus impunè occurriſſe? Hos ad *Pacis*, illos ad *Ædem Concordiæ* ſuadendo prouocâſſe? Nonne hâc meritorum conſcientiâ

riâ erectus, illum cognomento *Optimum* æquâsses? non tàm firmâ corporis proceritate, *aut festinatæ senectutis insignibus*; quàm illâ morum canicie, illâ Vrbanissimi Principis comitate exstantem. Iamque pacatis Regni Ordinibus, fido Curiæ ministerio perfunctus, Ciuili turbine paulatim subsidente, cùm necesse non haberes, amplissimi Honoris prouinciâ decessisti: eâdem quâ acceperas fide, maioribus comitijs, Reipubl. sub aspectu, in sinum Principis reposito sigillo, Tua deinceps, & ipse iam futurus sub Rosa. Patuitque tunc MATHIAM PSTROKONIVM, summo Cancellarij munere, contra vim Regibus & legibus infestam, eò vsque vsum esse, dū tranquillior regno facies redijsset. Vt qui iam Henricum ac Othonem tuis in maioribus censuisses, etiam Caroli abdicantis imitamento aliquid exprimeres, magnâ terrarum parte, se vltro spoliantis. An, vt impetratâ ab honoribus manu-missione, Senatoriam componeres ætatem? cùmque Te dignos, in editissimo gloriæ theatro, oculis Principum dedisses actus, in supremo accuratiùs elaborares, alibi Regibus hîc DEO spectatore. Quid ego posthuma lucubrationis Tuæ volumina putem aliud? quàm æterna Rosæ folia, semper recentia, eoque semper grata, *nec lauro cessura virenti.* Premuntur hodieque manibus, & libantur oculis, Tua illa diuinæ mentis placita, quæ vel ipsos mundi monitores Philosophos erudîssent. Vndè autem id mihi audaciæ, ea tenuiter

 molien-


molienti, quæ limatissima STANISLAI LVBIENII Suada, Senatorio pridem calamo æternitati transcripsit:

Cùm tulit aureos
Ad astra mores, atq; auaro, Sarb.
Egregij monitus Pstrokoni,
Inuidit Orco.

Vtinam ego hæc tàm feliciter referam, quàm tu in fastos publicæ memoriæ retulisti. Quantum suo Philippus Granuellano, tantùm MATHIÆ PSTROKONIO debuit, Tertius id nominis Sigismundus. Nisi quòd ill , etsi annis compluribus, incorruptâ fide, arcē obtinuerit principalis aulæ, tamen continuis deuota odiis victima, haberet aliquos, quorum animos nec morte satiâsset, At Noster hic *Laudibus inuidiáq; maior*, hoc insuper admirabili agendi dicendique prærogatiuâ assecutus, vt cùm gratiæ causâ nihil ageret, omnia tamen pergrata fuissent, quæ fecisset. Talem te hactenus Tuo inter Maiores Maximum, tenuissimè adumbraui Pontifex Humanissime; quando me perparcum, immò nullum esse, in tuis laudibus voluisti. Lætor Pontificiæ moderationis Tuæ interdicto, me adstringi. Interim delatam ad Te, sacræ familiæ tutelam, prima inter Honoris Vadimonia admitte, maiora Superis, & meritis pollicentibus. *Antiquo illi dierum*, nihil antiquius visum, quàm vt Te, antiquissimo omnium Ordini præficeret, qui Clientibus, dux & pater anteires. Et sanè intererat, Religiosæ felicita-

tis, vt Religiosæ mentes nonnisi Religiosissimum sortirentur: minusque iam solitudinem sentirent suam, postquam Tu eam frequenti virtutum comitatu celebriorem fecisti. Maluit Buzenia Pstrokoniorum Rosa feliciori electione, sacras BENEDICTI aras excolere, quàm Fortunæ, quæ translatitio vt est ingenio, quemadmodum Regionibus, ita nec certis Religionibus continetur. Arã vbique suam vel inuenit vel struit. Inflectat suo cultui lauros bellicas Dea insolens, póstes hederis, altaria Verbenis prætexat: etiam detracto Regibus diademate illudat; dummodò sibi vetita ROSARVM insignia non attingat. Maioribus illa Numinibus in coronam seruantur. Numen ei quoddam MARIA est, cui ornandæ toto pietatis apparatu ita sese impenderant, vt quanta quanta essent in sertum cesserint MARIANVM, ne quis deinceps Iericuntinis locus foret. Nulla profectò Diuinæ Parenti Rosaria dedêre plus Rosarum. Primum gentis ROSEÆ decus illud ADALBERTVS, vt fabulam Adonidis refutaret, sua MARIÆ amores colorauit in Rosa, quorum vim, Sarmatico etiam instillauit Marti: ne acie conflicturus, Laconum ritu, *Sacra faceret amori alieno.* Nam de Mathia Pstrokonio, publicâ peruulgatum famâ: Eum inter Angelicæ Salutationis encomia spirare desiisse, Si tamen exspirâsse dicendus sit, cuius Tu cadentem calentemque Spiritum excepisti Nepos. Vtere hereditariâ hâc, vel Tuâ, vel Tuorum virtute: Vt, quorum facta

felici contentione initeris, imitandus & ipſe, eorum nominibus Tuum addas. Quo autem bono accidit, vt in ROSINÆ amænitatis Viridario labyrinthum ingrediar? Nam & ſæpè in orbem orationis me refero, totieſque exploratam acceſſu receſſuque Roſam, iterum iterumq; exploro. A tã nobili tenerioris naturæ oſtento, nemo ſe facilè auelli ſinat. Auellor tamen, hiſque Charitum delicijs me aufero inuitum. Non quòd *finitimum ſuauitatibus faſtidium* ſubuerear, ſed nè amænioribus ingenijs floridum adeò argumentum inuidere videar. Fuerit aliàs fatale, Roſas vernare in autumno, hîc Proſperitatis omen eſto. Quòd mundi oculus vniuerſo, hoc Sendomirianæ Atticæ, Roſa repentè euoluta. Pontificiæ poteſtatis Tuæ Priuilegio id acceſsit, vt quantumuis alieno tempore, PSTROKONII floreſcente Roſâ, iteratò veris tempora ordiamur; immò alteram Sendomiriæ nacti Rhodum, non iam in fundamentis Roſam, vt Rhodienſes, ſed in coronide habeamus.



ARRHA

ARRHA
DOTALIS GLORIÆ,

Quâ Illustrissimus ac Reuerendissimus Princeps,
D. ANDREAS TRZEBICKI,
Episcopus Cracouiensis, Dux Seueriæ, in primo ac felici suæ Cathedræ aditu, Amplissimam suæ Metropoleos Diœcesim ditauit, ornauitque.

Elogio ad Posteros commendata, Anno Instauratæ Salutis, M.DC.L.VIII. 3. Non. Nouemb.

AD EVNDEM
ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM
PRINCIPEM.

M*inimè vereor*, Princeps & Præsul Illustrissime, *ne aut styli humilitate officiam virtutibus Tuis, humanum semel prætervectis fastigium; aut non ex merito dignitatis Tuæ loqui videar. Non vtiq; ignarus, Illustria virorum acta, neq; à scriptoris magnitudine grandiora fieri, nequè deteri à tenuitate Laudatoris. Illud potiùs elaborandum nobis, ne tam populariter Tuis laudibus insudemus, vt idem de alio dici scribiq; possit. Singularis hîc atq; eximius videri vis, vbi de* Gloriæ Dotalis *incremento trãsigendum est. Toto virtutis ac fortunæ apparatu Diœceseos Tuæ rem acturus aucturusque, maiorum in Te gentium sacras animi collegisti dotes: Praudotæ pietatem, sanctimo-*

niam

niam Kadłubkonis, Tylicij prudentiã, Zadzicij Suadam, Lubienij facundiam, in multiplicem eius vsum, aut si malit, in nobilem gemmæ sponsalitiæ cælaturam. Fruatur Pontificio tot bonorum prouentu, Sionis æmula & Soror, Tuis muniendaexcubiis, virtutum stipanda satellitio. Lætá securitate, bis tutò bràchiis, inniti possit, quibus nuper ciuilium curarũ incubuit regni pondus. Altiùs hîc descendere in gentilitias Tuorum origines non vacabat, festinantibus ad ea, in quorum ipse gloriam laboraueris, Tuorum ipse decorum & causa & origo. Vix non otiosum est, primos magnorum fluminum recurrere ad fontes. *Hauriant ex turbido obsoletæ antiquitatis, quorum Nobilitas obscuro seculorum in fundo est. Tuæ virtutis claritudo, meritorum eminentia, generis prosapia, in aperto posita, lucem alieno non accipiet à calamo, sat illustris de sua, Suorumq́. At cur pressæ angustæq́ scriptionis ad normam, Tua in Elogio arctamus præconia? nimirum quòd & Tu rebus intentior, quàm verbis, prolixam sermonis pompam procul habeas. Admitte, (quando & serenioris cæli temperiem in Tuæ partem celebritatis aduocasti) comprecantium votis & affectibus circumsesse Princeps, non nouâ iam inaugurati* Honoris *Tui felicitate initiandas, Collegij Sendomiriensis Musas, tot vexatas infortunijs, tot exiliis iactatas, eminùs tamen & cominùs Tuæ acclines Celsitudini: paratissimas etiam,* agere in distans, *Tuæ Amplitudinis vel ad mentem vel ad nutum. Vitá ante, interdici nobis feramus, quàm officio debitæ in Pontificem*

cem Indulgentissimum pietatis: hâc agimur ad stimulos obseruantiæ, immò trahimur, instar stipulæ, arcanâ Tui Annuli potestate. Liceat per Te Pontificum facillime, accurrentem è vicino Spartam nostram, vel inter vmbras Honoris Tui comites censeri.

I.

VIRTVTIBVS TRZEBICIANIS.

Data à Summis terrarum Principibus illustria testimonia, ad dotalem Suæ Diœceseos gloriam pertinere.

Hactenus, Orbitatis tuæ insignia gestaueris
FILIA PRINCIPIS ô CRACOVIA:
Erepto nuper desolata seu Sponso seu Pastore,
Accessu alterius, iacturam reparas vtriusque.
Qualem animo fingebas, formabasque, habes:
VIRVM SVI NOMINIS, TVI OMINIS
Tua Tibi cælitùs attraxêre suspiria:
ANDREAM TRZEBICKI
Robustam vel ab ipsa nomenclatione Virtutem!
Natione Polonam
Institutione Romanam,
Stirpe Nobilem: Factis præstantem:
Oracula si desideras?

Andreas virilem Græcè sonat.

Cæli

Cæli & Regis Suffragio bis felicem:
Imperatorio FERDINANDI III encomio,
Pontificijs ALEXANDRI VII Literis auctoratam.
Augusto tantorum in ore Testium
Omne virtuti pretium, fidesq́ constabit.
Quantum est ad Famæ immensitatem,
Latij & Imperij præconia meruisse!
Auctionem Dotalis Gloriæ si imperas? habes:
RELIGIONEM
Suis Maioribus coæuam,
Suis moribus collactaneam,
Vultu & cultu Vaticanæ germanam,
IVSTITIAM:
Terrore succinctam, non armatam supercilio.
In causarum Cognitionibus lynceam,
Sed largitionibus inaccessam,
Ita miseros admittentem, vt felices dimittat:
Metu, spe, cupiditate superiorem,
Quia nec alienæ egentem fortunæ, nec tenacem suæ.
FORTITVDINEM
Aduersorum tolerantiâ duratam,
Secundorum prosperitate incorruptam,
In turbido Serenam, Seueram in loco:
Mitem Ouibus, infestam Mercenarijs, metuendã lupis;
TEMPERANTIAM:
Igno-

Ignotum plerisque aut inuisum bonum,
Familiarem sibi cùm fecisset priuatus,
Eam nec aulæ publico submouit,
Vitæ arbitram, viæ comitem, mensæ conuiuam.
Certus: moderari cæteris nec nôsse, nec posse eos,
Qui suo temperare genio nequeant, nesciantue,
Nouo frugalitatis edicto:
Etiam magnificos mensarum apparatus,
Posse honestis parsimoniæ legibus circumscribi.

IDEM

Indomabili mortalium malo, linguæ,
Frenum liberæ necessitatis iniecturus ad mensam,
Salubre, ex silentio remedium præscripsit.
Optimum iudicans opsonatorem, Diuinorum famem.
Bellaria Attica, Asiaticis præhabenda:
Nobile palati irritamentum,
E sacræ condimento paginæ acuendum esse.
Frigere epulas, nisi edulio mentium concalescant.
Raræ Hospitalitatis inuentum est:
Absq; Latinis & Græcis Patribus non cænare.

PRVDENTIAM:

Virtutum vel Antistitam vel prodromam,
Consiliorum prouentu feracem,
Euentorum varietate multiplicem,
Maturam annis, annalibus erudiuit.

ZELVM:

Diuinorum ſtudio calentem, callentemque ſcientias;
Immunitatis Eccleſiaſticæ vindicijs irremiſsè intentum:
DEI Honorem, Honoribus alentem ſuis,
Vidit Polonia, Orbis Arbiter ALEXANDER probauit;
Diuinis Regijſque placitis, & ſua adijciens,
Iuſſam ſcandere ſuperiùs Virtutē, oraculo promouit ſuo.

Gauiſus intimè,

Ad altiora eum, gubernacula Sacrorum transferri
Qui ſe vltra Humana omnia extuliſſet.

Vigilantiam:

Legum patriæ, & Sigilli cuſtodiâ exploratam,
A Regis aula, ad Dei caulam transferens,
Mitioribus dominici gregis addixit excubijs.
Experrecti vigoris acer & vigil animus
Stationem duntaxat, non curas mutauit inſomnes.

Exinde iam

Secura ſuæ indormiat quieti Cracouia,
Hinc ferro Ducis: hinc telo Paſtoris communita.

MVNIFICENTIAM

Ita profuſam in Homines, vt auara non eſſet in Deum.
Prodigam caue dixeris,
Dare beneficia, non proijcere ex vſu habet.
Multis profuit ad gratiæ commendationem
Ex deſtinato Liberales fuiſſe.

Excluſa

Exclusa hinc: *Subitæ largitionis comes, pænitentia*;
Vbi æmulam Dei manum,
Regit consilium, voluntas agit.
Facultatis est, vt dare possis,
Vt velis, beneuolentiæ.

II.

Ecclesiasticæ imprimis Disciplinæ aduigilat.

Veteris in Clero Disciplinæ perdiligens Exactor
Quidquid monuit docuitue,
Maioribus comprobauit Exemplis.
Submouere aris illos, illos admouere solitus
Primum id postremumque egit:
Ne quid à suis læso Numine ageretur,
Oculatæ Diuinitatis pupillam se meminissent.
Arcendos iure Altaribus,
Qui mentem integram Altaribus non inferrent.
In Sectatoribus Nazarei,
Florem Virtutis potiùs
Quàm comam nutriri cupiens,
Pectinem & Speculum Cincinnato remisit Otthoni.
Bella Domini ardore gerenda non nitore.
Indecorum esse:
De singulis in iudicium capillis venire:

ABSALONIVM:
Cæsariem, venali pondere sub hastam dare.
Versicolorem nec in habitu fucum tolerans,
Indiscriminatam Sponsæ & Sponsi elegantiam,
Ad Sexûs ac Decori leges finesque discreuit.
Illo Pontificium capessente
Abstersus Goticæ Hostilitatis fascinus,
Restituta Sacris Libertas,
Odeis Psalmodia,
Curionibus Vigilantia.

III.

De Vniuersa Philosophia disputat, præsente NUNTIO *Apostolico*, HONORATO VICE COMITE, *in Regali Collegio Cracouien. Societatis Iesu.*

* Non cuilibet sanè contingat adire Corinthum.
ANDREÆ TRZEBICKI, sciendi cupiditate succincto
Procliuis ad Sapientiæ limina expeditio.
Generosis conatibus, difficultatum obices,
Audendi irritamenta sunt.
Nullius non appetens disciplinæ, nullius non capax
Omnibus in se cùm fecisset locum,

Vniuer-

Vniuersitas quædam videri poterat,
Vel docentibus, vel discentibus documento:
Magnis ad summa passibus emicanti,
Nullam Scientiæ arcem inuiam,
Nullam porticum satis clausam.
Humanioris literaturæ mansuetudinem,
Seuerioris Mineruæ succo tincturus,
Amicus Tullio, cæpit colere Aristotelem;
Cuius Auditorem tantò se libentiùs professus est,
Quantò flagrantiore veri studio caluisset:
Ita isti adhærens, vt illum non repudiaret;
Eo beneficij nomine vtrique obstrictus,
Quòd vterque Hominem perficeret limaretque.
Aristoteli debuit, vt sapienter diceret,
Vt copiosè & ornatè Ciceroni;
Cùm tamen Logicorum extra leges ac normas,
Nec dixisset, nec vixisset vnquam.
Scyllas & Charybdes Dialecticæ solerter euitans,
Floridam Naturæ insulam præteuectus
Sapientiæ metam attigit,
Secundo per aduersa cursu.
Dulce & decorum
Per tot discrimina ac tumultus,
Ad Regiam emeritæ Palladis contendisse.
Sub Palmario Peripathetici agminis Duce

Stipendiarius tuendæ Veritatis Miles,
Belli neruum ab ingenio deprompsit suo.
FELIX
Cui certanti vincentique spectator gratulatorque
VRBANI VIII. à Latere Legatus obuenisset:
Illo seu Prænuntio, seu Auspice
Ad Romanam prolusurus Theologiam,
Eius potiundæ, certissimum accepit omen.
Quota ad gloriæ accessionem appendix,
Philosophici triumphi comitem
In VICE COMITE HONORATO fuisse adeptum?
Per augusta SIGISMVNDIANI Athenæi atria,
Ad Palatium Reginæ Sapientiæ euasurus,
Regiũ Societatis IESV Collegiũ Cracouiense præelegit,
Hîc Athenas, hîc Mineruam nactus.
De summa Philosophiæ decretorio acturus Marte,
Publicæ concertationi diem dixit:
Securus Laureæ, quam suis ante sudoribus alluisset.
Oppugnatis propugnatisque vniuersè Assertionibus,
Quantus veri Assertor futurus fuisset, exhibuit.
Acclamate Fasces Honorum capessenti,
Quotquot olim Philosophantis ingenio applausistis.

IV.

Exteras Nationes peragrat. Romæ operam Theologiæ quadrienni nauat, sub magni nominis Doctore, Joanne de Lugo è Soc. Iesu, Cardinali S. R. E.

Vellem præstò mihi adessent
Paterni Materniq́ue honesti decoctores,
Domi inutiles, foris inglorij, militiæ turbulenti;
Primam in ijs & mediam Ætatem
Inter abrupta licentiæ perditam, frustra quæras,
Vltimam dedecori suo imposituris manum
Vt depontanam vitiorum senectam in præceps agant.
ANDREAS TRZEBICKI
Inter Optimos educatus ad optima
Primum floridæ Ætatis Ver
Festinatæ probitatis maturauit autumno.
Fuisset alibi prodigio, *morum hæc vindemia præcox,*
Nisi felicioris ingenij nobilem in plantam
Soli & Solis Latini benignitas incidisset.
Ferax & patiens bonorum omnium Nouale,
Romanæ sarculo debebatur culturæ.
Flecti fingiq́ue facilis animus
Disciplinas aptus ad omnes, propensus ad singulas,
Subli-

Sublimitatem ingenij, celebritate Vrbis commendauit;
Vbi de suis pariter Maioribus mereri visus,
Quòd eorum imaginibus tanto in lumine collocatis,
Nobilem Auorum gloriam geminâsset in sua.
Romano *GREGORIANÆ* Munificentiæ in Collegio
(Homine maior in Diuina consurgens)
Par capacitati suæ Gymnasium,
Parem loco & facultati Magistrum sortitus est,
IOANNEM de LVGO Societatis IESV,
Purpurati Senatûs eruditum decus:
I N Q V O
Rediuiuum Angelici Doctoris ingenium,
Peracutam Augustini subtilitatem,
Reconditum Aristotelis acumen,
ROMA suspexit, recognouit Orbis.
Multùm interest quibus ad Sapientiam Ducibus vtâre;
Felix Platone Aristoteles, Aristotele Alexander.
Ingens Eminentissimi Doctoris gloria,
Discipulus ex Laureato Infulatus.
Hoc insuper titulo Præceptori contiguus,
Quòd Vaticanæ ille Curiæ, hic Polonæ Senator,
Finitimo splendore accedant, accendantq́ se se.
Miratus tamen vterque se vsque ad purpuram profecisse,
Suorum erubuit meritorum aspectu.

VRBA-

VRBANI VIII. Imperio alter
Alter IOANNIS CASIMIRI ſuffragio,
Cardinalitias ille, hic Pręſul eas euocatus ad curas.
In Vrbe Orbis compendio
Omnium ingenia collegit in ſuo,
Tam proſperâ bonarum artium complexione,
Vt ambiguum fecerit:
Doctiorne ab Vrbe, an Sanctior rediiſſet?
Quum ſaluis integriſque ſuis omnibus,
Integrum gentibus luſtrandis, impendiſſet luſtrum.

V.

Summorum Pontificum honorificis de ſe iudiciis & beneficiis exornatur.

ANDREAS TRZEBICKI
Primæ felicitatis telam Romano exorſurus à capite,
VRBANO VIII. P. O. M.
Ab excellentia magnæ indolis probè cognitus,
Eiuſdem probari iudicio, beneficio ornari emeruit.
Bona Progenies diu latere non potuit.
In petitione ſacri muneris
Vel idcircò ſuis antelatus Competitoribus eſt,
Quòd ſe illorum nemini prætuliſſet.
Inde maximè idoneus gratiæ

Vnde minimè importunus.

Efficacissimum suadendi instrumentum est
Tacita perorantis verecundiæ eloquentia.
Palmas metit, cùm manum non moueat,
Est aliquid; in Vrbe Vrbium iudice
ORBIS ARBITRO PLACVISSE VRBANO!
Primâ hâc Apostolicæ dignationis indulgentiâ,
Płocensis Cathedræ renuntiatus Romæ Scholasticus,
Scholasticæ tunc Auditor Theologiæ præmium tulit.
Initiatæ felicitatis erat:
In amplissimi Sacerdotij primo aditu
Altioris prærogatiuæ accepisse pignus.
SVB INNOCENTIO X.
Maioribus Honorum Aris promissus, arrham tulit.
ALEXANDRO VII.
In Premisliensis Pontificij sedem
Suâ Alite auspicatò illatus est.
Prima hic infulatæ dignitatis instituta ei Encænia,
Vbi & suas pariter dedicarât virtutes.
A Premisliana Cracouiensem translatus ad Cathedram,
Minores infulas, maioribus extendit curis.

VI.

Romæ nonnullis S. R. E. Cardinalibus percarus, habitusque perhonorifice.

ANDREAS TRZEBICKI
A Generis & Vrbis claritudine illuſtris,
Romæ latere quia non poterat,
In lucem Vaticanæ Purpuræ familiariùs incurrit.
FRANCISCO BARBERINO:
GVIDONI BENTIVOLO
S. R. E. CARDINALIBVS percarus,
Reciproco vtriuſque amori,
Cultu venerationis reſpondit.
Lætus certuſque,
In his duobus, geminum ſuæ laudis cardinem verti.
Natæ factæque
Ad omnem leporis Vrbanitatem Barberinæ Apes,
Morum, in nobili aduena ſuauitatem odoratæ
Vſu intimæ conſuetudinis, eidem inhæſere:
Lectiſſimo Sarmaticæ Nobilitatis in flore,
Genuinum Poloni Candoris reguſtantes ſuccum.
Infixo iam tum altioris memoriæ aculeo,
In acumine & ſenſu literarum.
Pari Humanitatis artificio
Occupatam BENTIVOLI beneuolentiam
In animorum teſtes tabulas retulit,
Miſsilibus Amicitiæ Syngraphis conſignatam.
Famâ trans Alpes iturâ:
Septentrionis ingenia & calamos

In officia Vrbanitatis non frigere.

VII.

Jllustrium Virorum acta nonnulla & scripta Romæ imprimi curauit.

ANDREAS TRZEBICKI
Optimi cuiusque æmulator & cultor,
Alienis facundum se in laudibus,
Elinguem in suis fecit.
Domesticæ auctario gloriæ adiecturus,
Quidquid nomini Polono accessisset.
Hinc: Illustrium suæ Patriæ Virorum scriptis
Lucem publicam, in luce gentium quæsiuit,
Vitam Auctori alteram,
Romano impressurus prælo.
STANISLAVM LVBIENSKI
Quem eleganter verbis expresserat, expressit & factis.
Vindicati ab obliuione, Antistites PLOCIÆ,
Quantùm LVBIENIO ob impensam operam,
Tantùm Lubienius Trzebicio debeat necesse est.
Consultum integerrimi Scriptoris modestiæ,
Tuo ne careret Elogio Defunctus
Per quem, vt defuncti viuerent Præcessores, stetisset.
Rectè ô Præsul
Suo præclarum calamo LVBIENIVM,

Ingsi-

Insigniorem reddidisti Tuo;
Inde Stylum vibrare aggressus,
Vbi viuere & scribere LVBIENIVS desijsset.
Multùm prôfuit ad famæ immortalitatem,
Pares rebus gestis inuenisse præcones:
Lysippi an Mironis manu sculparis, refert plurimùm.
Nullâ styli humilitate iacere,
Nullâ attolli sublimitate desiderat,
Quisquis Tui OLORIS, elatus est pennâ.
Sic vno eodemque laboris viatico,
Hinc Senatorijs Viri Virtutibus,
Hinc Fastis Plociæ Cathedralibus commodâsti.
Meriturus & ipse gratam posteritatis memoriam,
Qui sic in alienæ lucra gloriæ laboraueris.

VIII.

Extra ordinarius ad Comitia Imperii Ratisbonensia Legatus ad Ferdinandum III. Imperatorem Romanorum.

Regis & Regni sustinendis maiestatibus
Nec Hercules satis vnus.
Illo, nec speciosius aliud, nec operosius
Principum Oratoribus incumbit pondus.
Theatrum hoc, nisi sis Roscius, ne inscenderis.
Mouere se extra decori numeros, hîc non datur.
Plena discriminis atque aleæ est

Omnis pro maiestate disceptatio.
Oram Regalis paludamenti præcidit
Quisquis infra Principem perorauit.
ANDREÆ TRZEBICIO
Imperiale Comitium
Triumphalis Eloquentiæ campus fuit.
Perinde illi Principum aures
Ac Orbem, sui famâ implêsse.
Sapientissimo ELECTORVM in consessu,
Sapienter electèque dicere,
At illius est, aut nullius.
Regnatrici Curiæ, ex antiquo, continuus
Adhuc ciuilis peritiæ, non calleret stylum?
TRZEBICIANVM EST
Causas agere Maiestatum
Citra præiudicium Maiestatis.
Imperaturo FERDINANDI III. Filio,
Cùm dedisset suffragium, vicissim accepit,
CONSVMMATISSIMI SENATORIS Titulo
Electorali à Senatu auctus.
Sic præuia GEORGII OSSOLINII
Dum vestigia foris premit, sua imprimit;
Præmisso ad Posteros effato:
ANDREAM TRZEBICKI
Extra Patriæ fines positum,

Intra

Intra Patriæ decora stare posse.

IX

Præparamenta sub illustrium Virorum disciplina, ad maiores Reipublicæ curas.

ANDREAS TRZEBICKI.

Quò in plura Reipublicæ commoda fundi posset,
Ingenitam sibi Nobilitatis indolem
Vel in cotem virtutis, vel in calcar vertit,
Quanquam vltrò in ardua procurrens
Agi se Ephori stimulis haud sinebat.
Ab Vrbe reducem feriari Patria cùm non sineret,
Tribunalitiæ potestatis excepêre subsellia.
Bono humani Diuinique iuris,
Putatus lectusq; Iudex,
Assessoriæ Curuli
Assistricem adhibuit Æquitatem.
Inde, inoffensum (quod mirere) pedem efferens
Primi Principis Principe in Curia,
Curialibus Regni curis prolusit:
Cùm antea
Ad ciuilem sapientiam permagno Institutore
STANISLAO LVBIENIO fuisset vsus.
Benè habuit Virum Patriæ deditissimum,
Formari apud se ciuem Patriæ vtilissimum.

Sua

Sua oraculo respondit fides,
Nobili Alumno, vota Eruditoris præcurrente.
Ad metas Togatæ Prudentiæ constitit
Adolescentiæ confinia vix egressus.
Maioris Cancellariæ Moderator,
Absolutissimum Senatorem egit, cùm adhuc non ageret.
Eò carior quò similior OSSOLINIO,
Sua in Cliente decora
Ex aperto amanti,
Ex abdito altiùs reuerenti,
Posthumis erudiendis;
ANDREAM TRZEBICKI,
IN PRINCIPE PRIMATIS AVLA,
Fidei & Obsequij tenuisse Primas-
IX.
Difficillimis bellorum temporibus, Procancellarius Regni, admirabili prudentiâ administrat munus.
Præferant alij ambitiosa ad iactantiam,
Re inania nominum ostentacula:
ANDREAS TRZEBICKI,
Vim sui nominis, intra se agniturus,
Quò VIRVM *se experiretur fortunæ,*
Cum irata luctatus est.
Naufragante in suorum sanguine Patriâ,
Arrep-

Arreptam Religionis anchoram
Constanter tenuit inter fluctus.
Acies militem, tempestas Nauarchum,
Aduersa Virum produnt.
Vniuersale vt est bonum Virtus,
Vnus tùm omnium sufficit fatis.
Aulæ in lubrico lapsantibus plerisque
Sibi innixus immotusque stetit.
Malarum artium tam nescius, quàm incapax,
Personatæ virtutis histrioniam,
Neque oculis dignatus neque auribus,
Ipso vitæ candore
Vel refutauit, vel irrisit.
Cerea in bonum facilitas,
Cùm omnes Honesti formas reciperet,
Nullam non ætatem, suis distinxit ceris:
Bullam: puerili innocentiâ,
Prætextam: contextu virtutum,
Togam Virilem,
Regum obsequiis, Patriæ vsibus attritam
Emerito commutauit laticlauio.
Calliditatem Politicæ, morum integritate oppugnans,
Sanctioris in aula Ethicæ
Et Auctor videri potuit & norma.
Ex miti Seuerus.

Vitijs irasci non hominibus certum habuit.
Sacro-Ciuilis Curiæ in theatro,
Eam sumere aut ponere promptus personam,
Quam sibi scena temporum
Aut mores populi indidissent.
Nullius aurum appetijt,
Cùm omnium animos posideret.
Inde purpurato quàm simillimus Borromæo,
Vnde gemere neminem permisisset.

XI.

OHE TV ETIAM

Triumphantis Ecclesiæ germana Bellatrix:
Euolutam bono Diœceseos Tuæ diem
Atratæ calamitatis ne inuolue aulæis.
Mortualis pyræ feralia suggesta
In publica lætitiæ theatra compone.
Arcus molesque magnificas ne attollito:
Altiores Pyramidum fastigijs Obeliscos
Sibi posuit, Sui suorumq; Victor ANDREAS.
Securus de rerum à se gestarum memoria
Cui fidelem adiecit custodiam, Bonas artes.
Tandem excusso Sueticæ seruitutis iugo
Ad iugalia iterum te accinge Sacra.
His te Dotibus ditatam dotatamque circumspice:
Ad summam felicitatis Tuæ restat,
Nôris vt te felicem.

Sub

Sub antiquæ virtutis Cultore
Fæcunda Sacræ frugis tempora opperire:
Bona spei portio est: præiacta tot bonorum sementis,
Arctum sortis ferreæ Annulum haud indueris,
SPONSORE ÆTERNITATIS ANNVLO
CATHEDRALEM SVBARRHATA AD ARAM.
Primo hoc DOTALIS GLORIÆ censu fruere
Et vide:
Non Sponsas tantùm cælo descendere
Sed & Sponsos. Apocal. 21.



SOLENNIS IN PONTIFICEM INAVGVRATIO.

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,
D. NICOLAI PRAZMOWSKI,
Episcopi Luccorien. Cancellarij Regni.
Auspicatò transacta CONSECRATORE
Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino,
D. ANDREA TRZEBICKI,
Episcopo Cracouiensi, Duce Seueriæ.
Anno VNCTI *in Salutem humanam* PONTIFICIS.
M. DC. LX. IV. V. *Idus Nouembris.*

Tunc verissimè iudicatur: Meruit quis honorem necne: cùm adeptus est. *Traiani Panegyristes.*

Insignia Prazmouiorum à BOLESLAO *indita, à* KRIWOVSTIO *aucta, Anno* 1103.

N. E. C.



P. L. R.

Iure *Boleslaus* Mauortia contulit *Arma*
O *Præsul*, Proauis continuata Tuis.
Ad Martem Genitis, conferre quid aptiùs *Audax*
Posset? quàm solidæ laudis, Equestre Decus?
Aurea militiæ sunt hæc documenta: quòd olim
Non auro, at ferro Miles habebat opus.

Liuius Histor. lib. 9. Decad. 1.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS ET REVERENDISSIME NEO-PONTIFEX.



Ngens & Illustre Honoris Tui Templum, cui nuper summam architecta virtus adiecit manum, vide ad quos & quàntos attinet, vel Religionis iure, vel nomine Maiestatis. Debet primum velut lapidis iactum Augusto Suffra-

Suffragio Beneficentissimi Principis. Debet delineati Operis ideam, Arbitræ Regnorum Templorumq; Romæ: Impensas longo tempori: Structuræ Materiem, Tibi: Formam Illustrissimo iuxta ac Amicissimo Consecratori Tuo ANDREÆ TRZEBICKI *Titulum (quod ego omnibus antepono felicitatibus) acceptum tribuit* Saluatori, *viua Bonarum mentium Templa propensiùs augustiùsq; inhabitanti, quàm lapidum moles, operosè sumptuoseq; eductas. Ergo ille, dedicatâ Suo Numini & Nomini Constantinianâ Basilicâ Laterani, in hanc* Encæniantis *Gloriæ Ædem intulit sese, ne hodiernæ non adesset præessetq; lætitiæ, cuius ipse & Auctor & Causa sit. Vnde enim Sacra magistratuum insignia? Sublimes Infulæ? Honorum præcellentia, pacata Vestri Ordinis ornamenta conflata sunt? Vnde intextæ Auro Mitræ? Tæniæq; Pontificum collo ac pectori implicantur? In Vos Illustrissimi, ac Reuerendissimi Præsules, humanis maiora longè decora, ex Huius dedecore doloreq; manarûnt!* Neq; enim tàm humanarum Virtutum succo, quàm Huius colore sanguinis, tincta Summorum vestimenta Antistitum purpurascunt. *Potuitnè igitur aliquid, vel ad votum cumulatiùs, vel ad honestandum Honorem Tuum ambitiosiùs euenire, Tantæ Maiestatis allapsu? Nimirùm ille Te, Sui vtiq; pupillam Oculi non lustraret? Tuo se non inferret delubro? non oris vultûsq; natiuum splendorem intenderet? Lucem Aris, nitorem altaribus non adderet, idem Ara, idē victima, qui Sacerdos? Vt iam Honorarij Templi faciem,*

Coronis ex more aureis perornari nolim; nolim sueta parietibus affigi luminaria, in tanto vel domestici, vel accessorij luminis apparatu. Quæ Te itaq; meritorum felix necessitas altioribus dicandum aris admouit, hæc eadem & Religiosis Mentibus diem dixit: vt si non Satellitium Honori Tuo aliunde frequentissimo, saltem vmbram facturæ adsisterent. Nam & Illustres absq; Vmbris Imagines non fuére. Læti adsumus ad Tua sacra, modico thure, (quæ Nostræ portio fortunæ est) sed purâ mente litantes, libantesq; Auspicatissimæ vnctionis de oleo, in Nostri quoq; oram pallij defluente. Adsumus inquam, pridem iam Initiati Obseruantiæ in Te Nostræ Cultores. Habes deuinctos votis & affectibus, quos, pro ea, quâ polles Ligandi Potestate obligasti, ritu & nexu æternùm duraturo. Primas, Primoribus hoc Officij in munere partes cedimus. Languent vmbratiles priuatorum voces, vbi domi natæ illustresq; Infulis dignitates, Tuæ Lucem Inaugurationis amplificant, ab ea quam eximiè sustinent personâ. Ver & Æstatem (Spei illud, hoc Rei emblema) transmisimus, non desideriis tantùm, verùm & floribus atq; aristis referti, obuiam Honori Tuo ferebamur; cùm ecce Tu lepidam Apollini nostro ignorantiam obijciens, voces & omina gratulantium, ad maturitatis vindemiam, Nouembres distulisti ad focos, focis Patriæ Arisq;, moram prorogati Temporis extorquentibus. Atq; vtinam ad Votorum summam Tibi contingeret, Vnum instar Omnium habuisse Patrem Patriæ, Tui Initia Pontificij serenaturum,

quan-

quantùm diei hodierno ex illa Serenitate Maieſtatis acceſſiſſet, vel ad plauſum, vel ad Pompam! Interim abſenti, non ~~non~~ omninò abſens, Regijs intereſt Auſpicijs; vt quem nuper in Hoſtici confinijs, ægrè à Suo latere ac humeſcentibus oculis dimiſiſſet, eidem Regalis beneuolentiæ flamine vel indiſtans adſpiráſſet. Scriptionis argumentum, extra Te, Romanasq́ Cæremonias ne quærerem, ijſdem me ſcribendi legibus, quibus Tu Te initiandi Ritibus, circumſcripſi, Auctoris pudore cum obſequendi ſtudio, certante; ne auderem laudare, quem laudare ſatis non poſſem. Sed præpotuit Tua Humanitas, vt iuſti ſilentij perfractis legibus, cum Præſtitite Eloquentiæ Tullio, alteri nempè Curiæ Tullio, vocem darem. Panegyricæ Gratulationi, laudes Principis intexui, quòd Te id probaturum coniectarer. An ſepararem interſtitio paginæ, nec locorum ſpatijs, nec regionum diſtantiâ, à Tua fidelitate diſiunctum? Aſſume (quod reliquum eſt) initiandam Tuis auſpicijs operam Oratoris, quem olim præcelſæ indolis Tuæ (Karnkouiani memoriam Athænei appello) admiratorem, nunc gratulatorem inſtitutis in Cliente.

PROLVSIO AD INAVGVRATIONEM.

Tandem ſubmitte Honori Inſulato
Pridem conſecratum Reipublicæ curis Caput,
Ex Hominibus, bono Hominum Aſſumpte Pontifex.

Ipsa Te Sacrorum Princeps Religio
In altioris adyta Sacrarij manu ducit.
Nemo Sacrâ aut ciuili dignitate dignior
Quàm, cui dignitates ex dignitate gerere solenne fit.
Nisi quòd Tu gloriæ vitabundus,
Trahi Te ad tua decora quàm duci malis,
Totus alienæ transactor felicitatis, nullus Tuæ,
Instituendis Regni Ordinum fortunis occupato,
Priuatæ incumbere Sorti non vacabat;
Benè vtique persuaso:
Spretam in semente gloriam, redire vberiùs in culmo.
Multùm ab humana deflexit consuetudine,
Quisquis ambitiosæ appetentiæ, parsimoniam indixit!
Diuinitatis ingenium est:
Suâ se inuoluere magnitudine.
Astrorum quoquè Principi,
Inde maiorem videri contigit,
Vnde minorem se, obiectu nubium commentus est.
Eò Tu insuper admirabilior,
Quòd longissimâ etiam iniquitate temporum
Ad Tuæ præscriptionem modestiæ vsus fueris:
Importunum esse reputans,
Dedicandi Honoris obire Encænia,
Bellorum tempestate Aras & focos inundante.
Sic
Præsi-

Præfinita Inaugurandis (iure maiorum) interstitia,
(Fatorum iniuriâ) & Tuo seruanda Pontificio fuêre.
Sub armato irati Martis interdicto
Festum celebritati diem dicere, nefastum erat.
At, vel nunc demùm
Maiores prehende aras, grãdioribus hostijs cumulandas.
Habes apparatissimæ Inaugurationi præstò omnia:
Incomitatus prodire in publicum haud poteris;
Acolytarum Te circumstat ordo virtutum:
Omnes lectæ censæque sunt
Cœlo indice, Româ iudice.
De pretio earundem, vt ne dubites,
Ad Lydium Orbis & Vrbis exploratas crede;
De seculorum iudicio vndequaque securas
Ex quo Dei & Regis calculo comprobatas.

II.

Sacro inungitur Chrismate,

Descendite, Luctatoriam fortes animæ in arenam,
Lacertosus Polonæ Curiæ Atlas vngitur in Athletam.
Efformato in Crucem Oleo intingitur,
Ne fluxum ad delicias, aut molle suspiceris vnguentum.
Pigmentariam, vt lubet, adite officinam
Luxu enerues elumbesque Sibaritæ.
Gymnici isthæc exercitij Palæstra est;

Volatica fucorum examina procul arcet.
Ex alieno natis viuere, fatale muscis oleum est.
Sed & vos
Procul este profani, Sacrorum derisores;
Bonus Christi Optimi Odor, malè olentibus, peius olet.
Fremat nimiùm emunctæ naris Iscarioth:
Frangi nollet alabastrum Vnguenti,
In vsum Verticis Nazarei.
Tota illi auaritiæ ratio:
Potuisse venundari & venire multo.
Malè quæstuosa cupiditas, perditum iri putat,
Quidquid vngendo Diuinitatis capiti impenditur.
Perge Neo-Præsulis Inclyte Consecrator,
In perungendo tam vtili Patriæ Capite,
Oleum & Operam non perdes.

GRATVLATIO PANEGYRICA.

DEdicatâ Honori Tuo Basilicâ Illustrissime & Reuerendissime Antistes, restat, vt & Vocem in vota consecres dedicesque alteri gentis nostræ Traiano; vt, quæ in proximo est ordinatissima Comitiorum celebritas, benè ac feliciter eueniat: *Vtque omnia quæ facit, quæque faciet, prosperè cedant, Illi, Reipub: & Nobis; vel si breuius sit optandum: vt vni illi, in quo & Respubl. & Nos sumus.* Constet acclamationi Nostræ veritas, quam nulla adornauerit assentatio, nulla extor-

ſerit neceſſitas: REX IN ÆTERNVM VIVE. Decet enim Inauguratum recens Pontificem (ne quid non ritè fiat) à fauſtis comprecationibus auſpicari. Ecquid autē, vel ad mentem Reipubl. conuenientiùs, vel ad vota ciuium optabiliùs precari fas, quàm longam Indulgentiſſimo Principi ætatem, bellis & victorijs, regnandi tempora diſtinguenti. An enim vllum ex eius annis reperias, non aut bellicis expeditionibus memorabilem? aut continuis famæ commentarijs non inſignem? Irrequieta Regum indoles, irremiſſis boni publici circumagitur momentis. Ita perpetuus quidam illis ad beneficentiam motus ineſt: vt in cœli naturam, ſiderumque ingenium tranſiſſe videantur. Senatoriam Druſi querelam audijmus: *Sibi nec puero vllas vnquam ferias obtigiſſe, nedum Viro*; quum prætextam pueritiæ, anticipatâ virilis togæ firmitate, onerâſſet potiùs quàm ornâſſet. Præcox reſtituendi imperij deſiderium, feſtinata hæc illi ætatum diſcrimina indùxit confuditque. Quantò id veriùs pro Te queri Patria potuiſſet Regum Actuoſiſsime, cui idem propè, regnorum ptimus qui bellorum annus, quietis & otij interualla, ſtrepentibus circumquaque armis abrupit. Aliena meditanti anxiè trophæa Themiſtocli, ſomnos aliquando excuſſêre. Quid ſi eidem, non trophæa ſed prælia, non Triumphi ſed bella Miltiadis per quietem occurriſſent? Tibi Principum Vigilantiſimo non imaginaria ſomnianti ſed gerenti bella, tuendæ or-

nandæque Reipubl. imperauit excubias, solus liber cogiq́ue impatiens amor Patriæ, Tuo securè conquiescétis in sinu. Vt mihi identidem ad augusta Regiæ Inaugurationis Tuæ primordia cogitatione recurrenti, non tam ex ritu porrectus, quàm fato traditus credi poſsit Gladius, nec in eam vsq́ue diem, suæ redditus vaginæ; præmonente iam tum Fortunâ: necTe hostibus defuturum, nec Tibi hostes, in istam districti ensis aciem, temerè, at non impunè incursuros. Quò me autem transuersum rapit impetus, auersumq́ue à Pontifice ad Principem, à Basilica ad Regiam, ab Aris ad Solium? nisi quòd & hic Aram Clementiæ supplex habeat, cæteri cortinam & oraculum, Vicariâ Numinis potestate insessum reperiãt. Et quanquam indecorum haud foret, Tuis laudibus Tui Principis præconia miscere, quo cum & curas miscueris, eius inquam Principis, cui cùm nihil ad augendum Solij fastigium supersit, securus vbiq́ue magnitudinis suæ, inumbrari non potest. Auctoritatem nemini adimit, addit etiam de sua. Suorum decora sua ducit. Scit enim ornari se dum ornat. Gauisus admoueri grandioribus aris PRÆSVLES quos ipsemet legisset: initiari Sacrorum præsides, eòq́ue propagari patrocinia religionis, *vera vtiq; Regnorum firmamenta.* Habent hoc quidem liberale atq́ue eximium Principes, quòd *nihil cogantur*; Noster attamen, suo imperâsse genio videri poſsit, ne quid fouendis Ciuibus negaret; sibi ea se indulgere persuasus,

quæ Suorum commodis indulsisset. Detestatus infame seculis & nomen & effatum quinti ab Augusto Imperatoris: *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Erubuisset sub tanto purpuræ magisterio, potiusque versa mente & voce contendisset: Hoc agendum bono Principi: ne quis egeat aut Famæ, aut Fortunæ. Sed me refero in gradum, modò Initiatæ Dignitatis.

Vna hæc ad Tuæ incrementum gloriæ fieri poterat accessio Illustrissime Neo-Præsul vt honor honore cresceret, seque ipso cumulatior proueniret. Superadditum Sacerdotio Pontificium, aucta est potestas potestate. Euolue Apostolici nominis congeminatas Literas: prome Oracula, exhibe Priuilegia, DEO secundæ Auctoritatis. En vt omnia Tuis contemperata virtutibus, omnia Tuis moribus consona, tenori vitæ respondent. Iamque ille, si non hominum, at fatorum torrens, Tuæ nuper, nec quicquam obstrepens aduersansque cymbæ, (quò seriùs destinatæ mentis promontorium teneres) cedit ad extremum, & velis obsecundat, exaggeratæ felicitatis Tuæ ceu absorptus in portu. Hoc celeumia enauiganti modestiæ Tuæ, hoc perseuerantiæ præmium debebatur. Redit ad Te quasi postliminio prima Vaticanæ prærogatiua indulgentiæ, redeunt primæ ab Vrbe Gratiæ, quantumuis cum Xenocrate, Gratijs non litâsses. Adest idem ius, idem splendor insignium, qui ante, idem Romanæ auctoramentum Curiæ quod ante,

idem ſtylus qui ante; nam & virtuti Tuæ eadem facies, idem color, quo in omni fortunæ poſitione, nunquam non Tuus, Tibiq́ue innixus videare. Tanta, ſupremo Sacrorum Antiſtiti Alexandro VII. integritatis Tuæ fiducia, tanta moderationis inerat æſtimatio, vt non ambigeret, Te ſaluâ diligentiæ tuæ ratione fuiſſe facturum, quod ineluctabili temporum calamitate, ne conficeri decorè potuerit, diſpunctum eſt. Rectè ô Præſul prouidenterq́; prærapidæ aliorum feſtinationi, temporariam prætuliſti cunctationem. Conſecutus inſigni hoc Poteſtatis tuæ temperamento, vt dignitates à Te non ſupercilio territæ, ſed vltrò manumiſſæ admitti à Te rurſus exambiant, Tuis rurſum tractari manibus, Tuâ iterum ſplendeſcere in aula, ex nutu & arbittio pendere, prægeſtiant. Quare ego illum ipſum obicem moramq́; tuis conſilijs, noſtris gaudijs interpoſitam extitiſſe reor, quia diuturnâ annorum, votorumq́ue pugnâ, Tuæ arx verecundiæ oppugnanda vincendaque erat. Id molientibus (vt opinor) Superis, vt ſolito maior & auguſtior, etiam non quæſitis occurſares honoribus. Quid enim? emerito Honori ſcenam inſtrueres? etiamnum Patriâ, ſuis ſe inuoluente ærumnis? caput infulæ ſubmitteres? Regio diademate necdum ſatis firmato. Manum Pontificio ſcipione impleres? regni ſceptro, inter hoſtilia popularis iræ nutante adhuc. Annulum ratæ fidei teſtem indueres, Rege & Regno, arctioris fortunæ ferreum annulum geſtante. Tunc deniq́ue ad beatas animæ ferias aſpirares,

cùm

cùm Te alius circumſtaret labor, alia Te aliò auocarent negotia, quibus Reipubl. ſalus, pax, ſecuritas, legum tutela, ceu Atlante; ſed extra fabulas niterentur. Vidit hoc pro ea, quâ Orbem temperat, prouidentiâ Caſimirus, quum Te vnicum præſenſque auxilium rebus feſsis adſumpſit. Et verò, Te tanto non imparem muneri, ſatis ad vota expectantium, abundè ad gloriam decuſque Polonorum ſuffeciſſe vnum, ille ignorauerit, cui ignota apud Dantiſcum, Oliuenſis Cænobij aſcetico in receſſu, frequens illa paciſcentium corona, illud inquam illuſtre comitium, tot principum Oratoribus atque arbitris adornatum. Frigere ſcena illa, toto latè Balthico protenſa, quî potuerit? tot actoribus referta, tot ſpectatoribus circumſeſſa? Vidiſſem Te vtinam ex proximo audîſſemque in ciuico illo eruditæ tranſactionis amphitheatro, dum Senatoriæ affirmationi vocem manumq; commodares. Ecquæ illa agendi grauitas? quæ dicendi, ſæpè extemporalis copia, quæ celeritas agitatæ mentis, in ſubita ſeſe porrigens? qui ſermo in ſententias non coactus, ſed totâ ſe libertate deuoluens! prorſus admirandæ capacitatis fuerit, hæc tam ardua variaque incredibili comprehenſione in animum demittere; partium poſtulatis intercedere, immodica poſcentibus modum ponere, cedere in loco, vt altiùs aſſurgatur, infectumque mox reddere, quidquid fieri non opportuerit; adhibitâ cuſtode rerum memoriâ, quæ in ſeuero illo dimicantium conflictu rationum, arbitrariam venêre in lan-
cem.

cem. Debemus Principi Prouidentissimo pacis tempora, quibus fruimur, ille consulit; debemus iuxtà sapientissimo SenatusConsulto, Tibique ante alios, præsentem quietis malaciam, Tuis conflatam consilijs animisque.

At non intra hos publicæ vtilitatis fines. Tua stetit industria, Vir in omnem demerendæ Patriæ occasionem intentissime. Alteram Te prouocant in arenam armatæ iratæque, malè fœderati exercitûs legiones. Quantò iucundiùs tibi, quantòque expeditiùs, in pacato illo (vt dicebam) Oliuensium Asceterio oleas pacis legere, pacis instrumentum condere, inque publicas fœderum sanctiones referre, nuper pactam ratamque animorum, armorumque societatem, quàm in domestica militaris odij tela incurrrere, nisi te fata Patriæ in eum quoq; scopulum impulissent. Quæ tum illa fuit rerum facies, quàm visu fæda, quàm animo execrabilis! Diminuta Principis veneratio! circumscripta Maiestas, posthabita Senatûs auctoritas, oppressæ Nobilitatis prærogatiuæ, eiurata Ducum obedientia; quodque his multò acerbius spreta Religio, vexata Sacerdotia, occupatæ Ecclesiarum fortunæ, direptæ facultates, res familiaris pessum data, fugati agrestes, coloniæ dissipatæ! Tacco insessa Regalia, exhaustas Oeconomias, adempta portoria, iniquissimâ prætensione vsurpatæ auctoritatis. Ita illis nihil sanctum, aut immune, nihil intactum, nihil vetitum! Exlex

illo

illa obſequij detrectatio, non metu legum, non Regis reuererentiâ, non pudore ſuo componebatur: prælicenter quidlibet agere, præ ſe omnes coaſpernari, ſe circumſpicere, nihil non ſibi deberi, ſuo ſibi arbitratu ſoluere, ex vſu iam habebat. Religioſam enimverò ſectam hominum, commentitio ridiculæ pietatis *Vinculo colligatam*, certè non abſimilem illius quam ſagaci tangens vaticinio, Poëtarum acutiſsimus vltore confixit plectro:

Imminet armorum rabies: ferriq́ poteſtas
Confundet ius omne manu. ſceleriq́ nefando
Nomen erit virtus. - - -

Nam & *anguibus natura pulchrum tegmen indidit, quo ſua diſſimulent venena.* Quid deinde? ô rem poſteris deteſtandam! Sanctum illud ac ciuile bonum Amicitia, propèmodum ſublata, interceptis per viarum inſidias literarum arcanis. Reſeratæ priuatorum ſyngraphæ, patefacta quæ minimè deberent, erepta abſentes alloquendi facultas. Id quidem erat: humanitatem è medio hominum tollere, nec barbaris violatam. In libera ſi quæ vſpiam Republ. de ſecuritate ſcribendarum periclitati, excideramus libertate amiciſsimos quoſque eminùs adeundi, commercio animorum. Et hi tamen ipſi, tunc ſe maximè tutores, vindiceſque libertatis, ſpecioſo ad iactantiam titulo profitebantur, cùm vel maximè libertatem vi & armis, officioſè præfocarent. Ac, ne vltra omnem audaciæ lineam euagati ſæuirent extra leges, lec-

ctis properè per turmas & Ordines, manu linguâque promptioribus, placuit bellicos creari Magistratus, qui Præsidentibus assiderent, qui lites & causas componerent, cogerentq; circulos, adessent iudicijs aut præessēt, ius dicerent; de salute de capite priuatorum censerent, supplicio addicerent, sontes æquè insontesque plecterent, nullâ defensionis, nullâ appellandi Maiestatem, nullâ intercedendi copiâ, pereuntibus constitutâ! Cæteri quibus plus fidei in Principem, stupore attoniti metuq; (constantissimos etiam percellente,) mutam illam ac sedentariam assentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius horrore corporis perpessi sunt! Sic in eo, sibi inuicem coniurantium an peierantium tumultu, his probantibus quæ sanxissent, illis inconditè reclamantibus, *Ferri* violenta *potestas, confudit ius omne manu*! Scilicet in tanto nationum discrimine, nexuque Fœderatorum, ij supplicem Patriam, manusque tendentem curarent? quibus vt translatitium ingenium & statio incerti Martis, ita nusquam & vbique patria, auro argentoque inter stipendia venalis. Quid hîc ageres, immò quid ex munere Tuo non auderes, auersurus vel euersurus exitiales regno turbas. Telum è visceribus Patriæ, lentâ mollique tractatione extrahendum, Tuæ opis artificium implorabat, in primis: mentem & manum adhiberes, hoc est: notâ suetâque fandi dexteritate, iratos vt flecteres, exarmares armatos: *Viderent*

etiam

etiam atq; etiam, quid molirentur, quò tenderent? meminissent, improuidæ defectionis comitem fieri pœnitentiam. Redirent in gratiam cùm Republ. cuius non alium fore statū fortunamq; intelligerent, nisi quem ipsi fecissent. Cordi esse Parenti Patriæ, quid proximo, quid superiore anno egerint, tulerintq;: quantum sanguinis Martiali in campo Saluti omnium Ordinum propinarint. Probè nôsse Regem Bellicosissimum, quæ palmaris victoriæ trophæa, SZEREMETANA ad Czudnouum è clade statuerint, perexiguâ sed numerum supplente virtutis manu; cæso deletoq; superbissim hostis exercitu, fortitudine in fastos æternitatis abiturâ. Interim darent operam: ne, qui in Sago pulcherrimè effloruissent, fœdissimè obsolescant in Toga; & illas, multo cruoris impendio emptas laureas Ciuicasq;, suis sibi in manibus infringi patiantur. Turpe esse: gladios tot palmarum messores, & adhuc hostili cæde stillantes, otio hebescere, torpere situ; studio armorum à manibus ad oculos, à labore ad voluptatem indignissimè traducto. Magnificum contra, atq; illustre: patrio more, patriâ virtute accinctos, sine æmulo, sine exemplo, secum certare, secum contendere, secum vincere. Quòd si exempla Fortium poscerentur, illa præstò esse: in fortissimo Lithuanici Ducatûs cataphracto Equite, ad metas laudis bellicæ, per depressa Moschorū capita euolante. Irent igitur, aut præirent, secuturis commilitonibus, collatis in vnum militiæ corpus & animis & vexillis. Irent inquā præliares animæ, & isthæc agendi tempora, belligerandi op-

portunitatem, certissimamq; victoriam elabi, ne sinerent, seq; rebus seruarent futuris. Illic belli neruum, illic spolia & manubias, illic gazam reconditæ supellectilis, & quæ illius oræ eximia, terris aut syluis continentur reperturi, aut erepturi hostibus, non pænitendâ laudum opumq; auctione. Cæterùm sua illos in integro manere stipendia, iure æquissimo exsoluenda Militi, lucis & vitæ vsuram, denis (vt aiunt) in diem assibus æstimanti. Iusta iustè peterent, neminem non eadem voliturum. Darent modò aliquid egenti exhaustoq; ærario, darent Equestri Ordini, darent Ciuibus, darent sibi. Paciscerentur breues admodum inducias, dum reddita sibi Respublica collecto in membra spiritu, dati acceptiq; secum ineat rationes. His Tu, oranti similior quàm hortanti, vel Pæno homini iram ac telum eripere potuisses, nisi in malè auritam obstinatæ vecordiæ maleuolentiam incidisses; inde meritus indignationem, vnde gratiam debuisses. Frustra petitis à decoro artibus, eos oppugnaueris, quibus vile quidlibet, quidquid inutile. Suadentem appositè sapientiã in præcordia admitterent? qui humanioris literaturæ gustum corruperint, fastidio arrogan*tiæ*. Cessit Ciuilis eloquentia, militari licentiæ, cessit comitas conuitio, maledicentiæ taciturnitas, Tuo in rem accinente populari.

Ad prima quisquis vulnera non gemit, Sarb.
Solo peregit bella silentio.

Te

Te enim admirer magis, an istorum oderim petulantiam, sacris æquè ac profanis infestam? sales insulsos, inficetas facetias, quibus, plerumque Regij primores ministerij, inolitâ linguæ intemperantiâ, proteruè carpere, in morem abijsset, Te interea, rebus intento, facileq; verborum contumelias inverecundis auctoribus condonante; neque ignaro: *Priuata Odia publicis vtilitatibus remittenda.* Equiqem cùm plurima operum sese efferant, pro quibus immortales Parenti Publico, agi gratias necesse sit; tum vel maximè, quòd solutâ lapsâque castrorum disciplinâ, in statu pristinæ seueritatis constitutâ, hanc bellicæ impunitatis licentiam longâ parendi dedignatione corroboratam, tristi at salubri in posterum exemplo coercuerit; Sibique & Ducibus militem reddiderit obsequentem. Tuæ adhibito Eloquentiæ classico, eminentissimâ, ut est, magnanimitate contestatus: *Nolle se eos militantium in censu numerare, quibus prona in seditionem audacia, nouandis quâlibet ex causa rebus in promptu sit. Arma exuerent, qui iam ante exuissent fidem. Castris actutum exessent pestilentes animæ, ne contagione latiùs grassante, ad cæteros virus perreptet. Sat benignè leniterq; agi secum existimarent, quòd indeprecabile supplicium commeritis, impunè liceat abire. Alia alibi stipendia quærerent, quibus plus animi in Ciuem quàm in hostem. Mouendos è statione Martis, Martem linguâ, non manu professos. Domi tantùm hospi-*

tibus timendos, foris terrori hostibus haudquaquam futuros. Renuntiarent ilicò Regis Militiæ, qui suæ peruicaces malitiæ perdiu noluissent. Non se deinceps permissurum, vt precaria Ducis anima inter infestos ferociter milites trahatur. Rationi consentaneum videri: mouendos bellico magistratu, qui Reipubl. Magistratibus extortâ facultate, (ne quid salubriter in commune statuerent) intolerabili fastu, comminationibus, ac tantùm non ferro obstitissent. Maurorum tumultibus accederent, nati omnia per tumultum, atque insanos vociferantium clamores agitare. Habitos à se habendosq́ loco hostium, quòd hostilia in regni accolas exercuerint; multò promptiores, computata viritim agrestium capita, quàm hostium censere. Haud dubiò scientiores iam rei frumentariæ, quàm tormentariæ; quum plerisque illorum notiora essent colonorum horrea quàm tentoria. Eapropter migrarent aliò, seq́ dederent Oeconomicæ, cui spatium biennij impendissent, irreparabili dispendio prouinciarum, cis & ultra Borysthenem, miserè desciscentium ad hostes, nostrâ infelicitate felices. Peccandi necessitatem ne obtenderent, liberâ ad partes Regias secessione, inuitati per exempla meliorum, illud vnicè dolenterq́ sibi imputantium: quòd seriùs quàm benignitas lenissimi Principis postulâsset, ad ingenium obedientiæ redijssent. Affinitate communicati criminis, quoniam tueri se non possint, efferrent secum suas labes, nullo satis sanguine eluendas. Excederent castris, priuatim degeneres, in publicum

blicum exitiosi, nec spei quicquam, nisi per discordiam pollicentes. Sibi verò: Non aliud Militiæ leuamentum videri, quàm si certis in reliquum legibus ineatur. *In reliquo par esse: militari notatos ignominiâ, in alias peregrinari terras, qui armorum decus, defectionis dedecore infamâssent. Saperent posthac exauctorati; ac suam cuiq; Ordini auctoritatem intactam illæsamq; haberent. Simul discerent militare ad leges Honesti, præsente dehonestamenti opprobrio mulctati. Scirent postremò: Regibus latè dominantibus, nec desituras bello, præliantium manus, nec defutura præmia bellatoribus. Quamobrem discederent, quoquò vellent, audirentq; Pharsalicam Lucani tubam, federatæ Cæsariani militis proscriptioni assonantem:*

Vadite, meq; meis ad bella relinquite fatis.
Inuenient hæc arma manus, vobisq; repulsis L. 5. v. 323.
Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.

Eum itaque in morem Martialis animi Princeps, fide & obsequio melioribus in gradu relictis aut repositis, pro piores culpæ, irreuocabili imperio (quod vindicandæ maiestatis interesset) amandauit. Quando non tacẽdo Taciti iudicio, *ne morbos quidem veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera coercueris.* Tuis Præsul Accuratissime vt plurimùm conatibus & vigilijs, Tuis cohortationibus & alloquijs, rediјt sua Reipub. forma, Patribus Conscriptis veneratio, Religioni immunitas, Pontificibus Honor, Templis cultus. Redeunte omnibus terrore

rore & voto imperata faciendi. Corruit tandem illa ca-strensis contumaciæ arx, nouis obstinatè defensa Gigantibus (Iouem si possent detracturis in terras) Tuis aggressionibus & cuniculis expugnata, suis ruderibus insepulta; quibus aliquis inscribat Viator.

Discite Iustitiam domiti & non temnere Reges.

Magnum quidem illud seculo nostro dedecus, magnũ pectori vulnus impressum est! Respubl. pænè capta inclusaq;, ne se in vsus Ciuium commouere posset, ademptâ sentiendi, quæ vellet, & quæ sentiret dicendi libertate! ablata simul Mitissimo Principi seruandorum hominum potestas! ereptumq; illud in principatu beatissimum, quòd à nemine cogeretur. Si tamen hæc sola erat ratio, quæ Te, Regum Animosissime ad ciuilis mali curationem admoueret, propè est vt exclamem, tanti fuisse! *Corrupta est disciplina castrorum, vt Tu corrector emendatorq; contingeres, inductum pessimum Exemplum, vt optimum opponeretur.* Vnde autem optimum nisi ab Optimo peteretur? Quantum est extinctam refouisse militiam? refouit. Exsanguem & exanimem, animâsse? animauit. Mores alios, alios sensus, naturam propè aliam stipendiarijs induxisse? induxit! antiquis instituti legibus adstrinxisse? adstrinxit! Et adhuc initiati à se exerciûts, renatam se Auctore fortitudinem, perarduâ in Rusiam expeditione non educeret? Viarum incommodis, locorumque asperitatibus, *quibus hominum*

quoq;

quoq; (teste Curtio) *durantur ingenia*, non acueret? Non bellatrici Aquilæ pullos congeneres, orientem exploraret ad Solem? non hodie primùm se magistro didicit: *Inter belli discrimina, armorum virorumq; faciendum esse discrimen.*

Quonam autem Tuo, an Poloniæ fato fieri dicam, Emerite Antistes? vt necdum hîc etiam tempestiua dedicandæ virtuti Tuæ eueniant statiua? perinde ac si vocem publicæ necessitatis accepisses: *Pacis negotia, speciosiùs per otium transigenda.* Quamobrem seposito tantisper sacrarij apparatu, rei viatoriæ instruenda supellex. In hostico, Principi Principisque sequacibus hyemandum. Abesse Te, à Tui comitatu Principis, nec Tua sinit pietas fidesque, nec ratio permittit ministerij, curarum æquè comitem ac viarum. Cedat tantisper Neomenia (vt vocāt) tuba, Martialibus classicorū sonis. Lustrandus latè Oriens, armorumq; illustrandus fulgore: adeundæ Orientis Prouinciæ, nec magis pedibus, quàm laudibus peragrandæ. Exturbandum præsidijs, effugandum castellis hostem, vindicandas ciuium ditiones, arrogantissimi aggressoris ferociâ oppressas. Quin ipsos etiam præsidiarios, nostris circumquaq; vrbibus, atq; arcibus hostiliter impositos, iræ nobilis vltore instrumento confestim exturbandos. I, sequere Cordatissime Antistes, Magnanimum Bellatorem, magnis passibus, vel vltra ferreas Chabri columnas euadentem. Fuerit antehac

solenne, *Terminos erigere, & stantibus prouincias discernere columnis. Profectò fallitur: quisquis Terminos immensæ Gloriæ, metitur spatio, quod transiuur.* Iuit alacer lætusq; virtute militum, eò arma inferens, quò nemo Principum, nemo Regum Poloniæ accessisset. Manu ille quàm nomine audacior Boleslaus Audax, expugnatâ quondam Chiouiâ, profligato Wschewoldi exercitu, non vltra Borysthenem audendo progressus, perexiguis victoriam finibus circumscripsit; citeriori populatione famam colligens & laureas, immani mox sæuitiâ & parricidio polluendas. Prima & Magna Casimiris Nomina, vt non adimo, ita vim remque vocabuli istius, nullâ antecedentium iniuriâ transfero ad hodiernum Iagellonici sanguinis & nominis Casimirum. Inaccessa, & vel Audacissimis inausa, Tuis ausibus, Tuis accessibus & successibus seruabantur. Tunc si aliàs Regum gloriosissime, Fabricij & Scipiones, & Camilli, Tuis ad vitam reuocati exemplis, Tuo in exercitu conspecti sunt. Tamennè adhuc militares copiæ, sub tanto patientiæ exemplo non durarent? non vltro citroque Tua certatim ad signa & aquilas conuolarent? non piaculi loco ducerent (illi etiam qui principio restitâssent) pedem referre? antecedentem non sequi, non pericula iungere, non puluerem bellicum sudoremque miscere? Etsi autem *pleraq; in exercitu absentium quoq; Regum tam auspicijs & consilijs, quàm telis & manibus gerantur*; adesse Tu tamen malueras Tuo agmini

gmini: ne iam Tuorum fides & induſtria, per internuntios & interpretes, ſed ab ipſo Te, nec iam auribus, ſed oculis probaretur. Quo quid feliciùs Tuo contingeret militi vel ad præmium, vel ad decus? Quocirca, ruere in diſcrimina, obijci periculis, vallum inſcendere, addere ſe aſſultantibus, ambire Ciuicas, mortes oppetere decoras, ſanguinem, vitam, ſpiritum denique, Patriæ impendere, inter ludicra militarium laxamenta curarum habuêre. Itaque quod in ſuo ille Imperatore ſuſpexit. *Perinde ſummis atq; infimis carus, ſic principem commilitonemq; miſcueras, vt ſtudium omnium laboremq;, & tanquã Exactor intenderes, & tanquam particeps Sociuſq; releuares.* Et quoniam vna ſimplexq; bene merentium, & fortiter morientium conditio eſt, feres æquo animo vt cætera iſthic tuliſti PRÆSVL Tolerantiſſimè, fortium virorum decora Tuis addi, Tuaque inter encomia memorari acta Militum, quorum ſpectator ipſe admiratorque exſtiteras, in illa Martis area: illis ſtantibus, aliis rem agentibus, his cadentibus cælo teſte. Te interim (nam & hoc in Tuis laudibus ponitur) ſupremam exſpirantibus ferente opem, inſtante morientibus, atq; expeditum animæ iter precante. Nam quòd attinet Principem, felicitati hoc Tuæ apponis, exornari illiûs nomine paginam Tuo nomini dicatam, admittiq; ad præconia, quem priùs in animum profundâ veneratione admiſiſſes.

Principium Russico-Moschouiticæ Expeditionis mirer, an finem? Magnum est perfrigidâ anni parte, rigescente brumâ, sæuientibus vndequaque ventis, militari sub tecto perseuerâsse! plùs tamen est, non timuisse, ne perseuerare non posses; eò loci, vbi feræ gentes, non telis magis quàm suo cœlo, suo sidere, suis moribus armantur, perferente omnia, superanteque Tuâ Tuorũq; alacritate. *Nec fuerant duri Tanto sub Rege labores* algoresque, vt vel tunc omnibus oppugnati elementis discerent: *Non esse molle virtutis rudimentum*, exercitu Regio, nihil non Regiæ Fortitudini tribuente, seque ad tam sublimis tolerantiæ, humano augustius exẽplar fingente formanteq;. Fuit, dum priscis Imperatoribus prospexisse duntaxat castra, Martemq; per officia quasi salutâsse contentis, (cùm hostem vix eminùs adspexissent) popularis adulatio immensæ fortitudini gloriæq; daret. Nostro bellorum bellatorumque experientissimo, à primis iam inde pueritiæ confinijs, omne genus armorum callenti tractantiq;, non paucorum mensium, sed annorum in se redeuntium orbibus commensa belli gloria militauit. Inde vnicè admirando, quòd etsi Triumphali Patre genitus, Fratri Victoriosissimo successisset, tamen bella nec prouocat ex facili, nec timet. Eam ipsam expeditionum difficillimam eòque incomparabilem, haud aliter adornaturus, nisi quòd sic è publicis Patriæ rationibus expediret, Reipubl. interesset:

Robur

Robur & florem veterani exercitûs, in vastissimos camporum tractus importari fas erat, quò lacerum discerptumq́ue regni corpus, quàm citisimè coalesceret. Accedit, quòd numerosa illa multorum capitum bellua, multis egeret manibus obtruncantium. *Parum namq́ tuta est maiestas, sine armis*, in tanta vel Rustici Martis præsidentia. Vniùs oræ, non vnius iræ populi, modò armis, modò solâ armorum ostentatione ad obsequium & deditionem reuocandi fuêre. Præmittendum vltricis potentiæ terrorem, sed fiduciæ excubijs circumseptum; inserendam fascibus pacis oleam: secures & virgas, fasce Iagellonicæ Mansuetudinis prætexendas, *Securitatẽ mutuâ securitate paciscendam : armis enim irritantur arma*. Metus & Pauor odiosa ijs numina qui se peccâsse meminerunt. Ponet nihilominùs quod extulit superbè caput, Rustico-barbari furoris Hydra, non minùs in suas neces, quàm in laudes Regias hodieq́ue fecunda! Minùs iam timetur, Moschouitici Draconis assûmpta additaq́ue monstro facies, cùm illa ipsa vtriusq́ue populi consociata perfidia, quouis portento immanior, timeri desierit nostro militi, ex longa periclitandi assuetudine metum omnem periculorum exuenti. Nec iam ex vano creditur: Virtuti hoc Regiæ à primis bellorum tentamentis, prouisum diuinitus irritamentum, vt illic spei publicæ iactam anchoram fundaret, vbi primùm tyrannica peregrino-domesticæ tempestatis violentia, con-

 cussam

cuſſam Fortunæ noſtræ prætoriam agitâſſet. Neſcio tamen, an aliàs luculentiùs, Natum ſe CONSTANTIA patefecerit? quàm cùm in medio ciuilis procellæ turbido, fluctuante iam, ac tantùm non abſorptâ Reipubl. naui, clauum ſemel prehenſum conſtanter tenuiſſet; Te interim principe Regni Miniſtro, vela in omnem neceſsitatis vſum ſcienter obliquante: excubantibus perpetuò in Senatoriam vigiliam oculis, ne noſtræ felicitatis oneraria, latentis diſcordiæ in ſcopulos deferretur. Sed recentioribus inſiſtendum. Spectabat enim ad gloriã Laudatiſsimi Principis, frenatus traiectuſq; Boryſthenes, ingentia tergo bella tranſmittens, non accolarum magis pervicaciâ, quàm ſuâ ipſiûs magnitudine formidabilis. Quid verò deinceps metuerent ſequaces copiæ, hoc ſecuritatis vnicum ſidus ex proximo intuentes? An impedimentis rei bellicæ timerent? quibus tam planũ expeditumq; ad fortunam iter pateſceret? Quantùm à Noſtro diſſimiles, qui *non Albani lacûs otium, Baianiq; torporem & ſilentium ferre; non pulſum ſaltem fragoremq; remorum perpeti poterant, quin ad ſingulos ictus, turpi formidine pallentes exhorreſcerent.* Taceo ſuperatas conſilio paludes, tranſmiſſos amnes, emenſa viarum aſpera & confragoſa. Non ingredior inextricabiles Hercyniæ ſylvæ labyrinthos, cæcaſq; horrentium dumetorum ambages, & hoſtem nota inter abdita lucorum occultantem ſeſe, ne in ſolem & aciem prodire cogeretur

tur. Feras diceres, non milites, ita suis inclusi tenebantur latibulis, non obscuro metu confessi; Polonorum se viribus & viris pares esse haud posse. Profunda syluarum insederant, egregij syluarum cultores custodesque; veriti credo stipites illi, ne quibus obtegebantur arbores, in trophæa currusque triumphales, victoribus cederent; Syluæ ipsæ in lauros & palmarum nemora repentè verterentur. Nihil ignauo stupori illi cũ stratagemate Premislai nostratis, truncos arborum, militari commento obarmatos, Morauorum exercitibus ad terrorem opponentis. Sic in hostico quæsitus diu hostis, pugnacipus Polonorum copijs, sui copiam non fecit. Hoc ipso minor, quòd præliaribus animis campestrem belli gloriam inuidisset. Nihil iam in Tua gesta, fortunæ ac tempori licebit, ex quo illam factis ingentibus, hoc est benè merendi perpetuitate subegisti. Id planè est posteritatis, immò æternitatis negotium agere, Famamque sibi, Heroico adoptionis iure, heredem scribere, ad consequentis æui memoriam fastosq; transmittendam. Horum aliquid si egissent otiosi Romanæ purpuræ gestatores, quasi prolatis imperii limitibus, quos non sibi arcus & statuas, quas non Triumphi moles, & fastigiis templorum altiores titulos arrogarent. vrgerentq;, & quasi meruissent, putidè lætarentur; in perniciem civium ire paratiores quàm in hostem. Illi inquam, bellatores in theatro, in acie specta-

ſpectatores.

Parum erat Noſtro, PATRIS PATRIÆ nomen (*quod cæteri ab arrogantiâ. ipſe à moribus & natura accepit*) nouis in dies argumentis, memoriæ noſtræ infixiſſe, niſi eundem hunc ciuicæ caritatis popularem titulum, & rem vlturus, oppreſſoribus patriæ, vel extra patriam oſtentaret. An vllæ igitur, pro tam laborioſa & exercita ſtatione Parenti Integerrimo referri gratiæ pares poſsint? Intelligimus iam, quàm æterno annaliũ honore dicari oporteat Conſeruatorem ſui Orbis, non tempori alieniſsimo, non ætati, non ſaluti parcentem ſuæ, laborem verò bellicum, (credetne poſteritas) inter ſeriorum auocamenta operum reputantem!

Et poteras Tu quidem Regum Inuictiſſime, feciſſe iſthic feliciùs aliquid, nihil ſapientiùs cautiùſque, quàm quòd (Superis comitantibus) deſiderio reuocantis Patriæ rediturus à ſcena Martis, viuam ſpirantemque Fortitudinis Tuæ imaginem Tuo Militi reliquiſti, vt ſub oculis præſtò eſſet mentis Regiæ idea, ad quam aſsiduò ſe componerent, inde lineamenta tranſſumerent, inde ſpiritum vigoremque in ſe traherent, quò vt minimùm Tuæ abſentiæ tædia perſentiſcerent. Deinde quòd fidiſſimo iuxtà fortiſsimoque * STILICONI Tuo, immenſa gloriæ maria enauiganti (vehentique alterius Fortunam Theodoſij) vicariam armorum poteſtatem tradendam decreuiſti, eâ proſperitate, eo euentu

* *Stephan Czarnieckj.*

tu prouentuque, quem à vetere & acri Magiſtro exſpectari par erat; ita ſortem rotaſque exercituum temperante, vt Regis placita anteuertat, vota Reipub. factis æquet, commilitonum ingenia victorijs acuat, *Bella momentis conſtantia,* ſuo moderetur arbitrio, ne quid à ſe decretorijs fatorum tabulis debeatur. Faxit pacis bellorumq́ue Imperator Deus, vt, quam ſuo ſibi nomine ominatur Coronam, eandem in ſuorum operum coronidem, felici molitione aliquando trāſferat; igniarium ſeruilis iræ fomitem, tot annis iam fumantem durantemq́ue in bella, rebelli perduellium ſanguine reſtincturus. In reliquo, redeundum & Tibi PRÆSVL Nominatiſsime, viarum indefeſſo, laborumq́ue impigro; neq́ue tantùm cœli ſoliq́ue illiùs, ſed & hoſtis iniuriā iacturamq́ue perpeſſo; redeundum inquam ad cor Patriæ, cui animum & calamum, iam diu deuouiſſes, domi foriſq́ue operoſum. Sacris Venceſlai Principis veſtigijs inſiſtentes fortè per hyemem aulicos, geluque torpentes repentè incaluiſſe, fama eſt vel ipſis templorum pauimentis cruore inſcripta. Quin te pariter Iagelloniæ Maieſtatis comitem vigilemq́ue, in auſtera quoq́ue Orientis plaga hybernantem, algere haud oportuit, tàm contiguum continuumq́ue Tuo Principi, ſuæ amore Patriæ vel inter algores conflagranti. Illaturo deniq́ue (quæ hoſtem debellaturis votorū ſumma & caput erat) illaturo inquam ſuam barbaris hyemem; niſi ſolitò ci-

tiùs mutatis anni vicibus, remiſſo frigore, tepeſcentibus lacunis, fatiſcente glacie, Solueretur hyems Moſchica, patrocinata ſuorū trepidationi & latebræ exercituū, vt nec elici è ſyluis voluerint galeati lepores, nec ſyluæ potuerint obſideri. Eò hæc attinent à me paulò altiùs repetita, non quòd ſingula conſecter, ſingulis vix æquanda voluminibus, ſed vt liquidò conſtet, quàm illuſtre, quàm magnificum Tibi, implicatiſſimis Reipubl. negotijs intento diſtentoque, ſacra tui Ordinis inſignia incuoluta huc vſque tenuiſſe. quia *fruendum honorem ante ſalutem Patriæ non ponebas.* Adeò Tibi erat vel merces non habere mercedem, vel honor honoribus caruiſſe; dum adhuc preſſa ex ciuico-hoſtilibus armis Ruſſia, ſciſſili palliaſtro ſqualeret, manumq́ue & ferrum Principis imploraret. Sufficiebat tunc Tibi, arcana virtutis purpura, quæ ita honoribus augetur, vt ipſa honoribus altior, honoribus lucem addat. Placet iam rimari altiùs procraſtinati in cauſas Pontificii. Etenim: *Ceſſit Toga Armis, Ara focis, ceſſêre Pontificis ornamenta, Reip. incrementis;* ne non ante impleres Infulas, quàm omnes fidi Aulici numeros explêſſes; priuſque Summum Regni egiſſes Miniſtrum, quàm Pontificem, pulchro gradationis interiectu. Eximium id prorſus: ad ipſam quoq́ue vittarum poſſeſſionem, ſingulare ſtrictioris meriti ius exigere à Te ipſo, ne ex improuiſo ſubitus venias ad Tiaram. Benè habet: dilatæ hactenus Inaugurationi Tuæ, ipſa

ipſa prorogati temporis impendia fecêre pretium, vt non ex vetere effato, ſed Tuomet experimento compertum ſit: *Magna conſtare interuallis*; adeoque ſuam & Honoribus ineſſe ætatem, quâ lentè matureſcant, ad feracem meritorum autumnum. Non magis enim inter belli negotia, & triumphi diem, quàm laborem inter ac præmia, ſpatium intercedere neceſſe eſt. Priuatorum atq; egentium eſt: *Citò ac perperã mereri, vt citò ac temerè potiantur.* Generoſis mentibus, poſtquam in ſuam ſuorumque Spartam impensè laborârunt, *ſtipendium penes rectè-facti conſcientiam.* Honores nec à limine ſalutârunt, qui in occupandis honoribus, celeritatis gratiam aucupantur. Inconſultum eſt: *Perexiguo viatico immenſam dignitatis prouinciam emetiri velle.* Felicem ego Te hoc nomine compellauerim Præſul moderatiſsime, cui ita naſci, ita educari contigerit, vt prælauta honorum in domo genitus, nec fortunæ egeas de Tuo fortunatus, nec ad limina honoris peregrinari opus habeas: cùm intra domeſticos penates, Honoris Ædem reperias, longo ætatum ſenio venerabilem & ſacram. Nec propterea tamen, ſitu annorum obſoletam, quòd Gentilitio vetuſtatis iure colitur ſemper, ſemel à Maioribus dedicata Tuis. *Anni & ſecula non officiũt virtuti.* Tota illi ex antiquitate gloria, *Lucorũ quoq; ſenia, olim cultui ac venerationi fuêre.* Veteres illi Romanorum (atteſtãte Claudio Marcello) quòd negarent fas eſſe, *Virtutem* atque *Honorem* uno Templo,

ijſdem aris fociſque venerari, indiſcretis ſaltem parietibus colligârunt; vt eſſet cuſtos ad honoris cellam virtus, neque honoribus negaret aditum, quos ipſa faceret adeuntes. Genuinum PRAZMOVIANI generis virtutiſq; ſchema, è domeſtico priſci moris apparatu depromptum, nec tam coloribus, quàm animi dotibus adumbratum. Non perinde enim Timãthis penicillo exprimitur, quod moribus exaratur: aut effingitur ſimulachris quod ſpirat in actibus, vel mutis committitur paginis, quod linguis omnium celebratur. Vbi enim illuſtrius aut perennius Virtuti cum Honore commercium? Vbi meritorũ dignitatumque conſociatio luculentior? quàm in hoc perantiquæ nobilitatis, probitatiſque domicilio? Hinc Senatorij magiſtratus: hinc militaria Heroum Inſignia, Caſtellanij ſplendores, clauæ, vexilla, terrarum Præfecturæ, Tribunalitia ſubſellia, togatæ armatæque Palladis honoraria. Hi primis Ecleſiarum admoti aris, illi idonei Caſtris, iſti arcibus & propugnaculis impoſiti: illi prouinciarum Oratoribus adlecti; factis & faſtis, Maiorum decora contutati, Minoribus tradidêre. Errare ad Maieſtatum auguſtale non dabitur, quibus peruia Curiæ & Senaculi limina adytaque obtinentibus, ad Regiam & Solium iter, Soleæ feciſſent gentilitiæ, Regalis beneuolentiæ Martiale pignus. Cogitanti mihi, qualem quantumque eſſe oporteret, primum intimioris conſilij Adminiſtrum, cui non modò nutus, ac iuſſa Principis,

verùm

verùm ſenſa etiã, cogitataq; propemodùm, ſolerter prænôſſe, ne dicam imperata exequi conceſſum ſit. Tu ante alios memoriæ occurriſti, quem à paterna diſciplina, primo annorum tirocinio excultum, illuſtrior meliorque aulæ genius, altioris prærogatiuæ aptabat; donec currẽtibus immò indolem præcurrentibus annis, quod tacit9 pollicebare, præſtares in opere Curiali. Quantâ igitur humani diuinique iuris intelligentiâ eruditum? quantâ patrij codicis legumque ciuilium peritiâ inſtructum? quàm multiplici ſubitâque affluentem eloquentiâ? ingenio præſtantem, prudentiâ præcautum, æui animiq; præualidum eſſe conueniat? Cuius humeris inclinata recumbat domus publici Conſilij, Oraculum Reipubl. Legum conclaue, lar inclytæ Libertatis, officina Gratiarum. Tua hæc ſunt Vir Conſultiſſime, Senatoriæ mentis adminicula, vel ſi mauis fulcimenta, quibus maieſtas dominantium tutò incumbens, libera ſolutaque ſibi tantùm vacet, poſtquam Te aſſumpſit, qui erga omne hominum genus uice ſuâ, *nam nec Atlas ſine Hercule*, fungereris. Fungeris enim ſufficiſque Vnus omnibus, in tanto negotiorum acceſſu receſſuque, vt labore refici ac reparari videâre! Vt enim expetitis Procerum honorib9 deſeruis! Vt prouinciarum deſiderijs, vt ſingularum etiam Ciuitatum (quod cum Optimo Romanorum Principe, commune Tibi feceris) votis & precibus occurras! tam alacer, tamque erectus; *nulla vt in audiendo*

difficul

difficultas, nulla in respondendo mora aut fastidium intercedat. Statim adeunt, statimq́ dimittuntur. Videmus vt Curialibus exsolutus curis, principales è vestigio resumis! Vt reconcilies æmulas Ciuitates, vt iniquitatibus intercedis magistratuum, pænis legum ad paucissimos, metu ad omnes pertingente. Vt denique causas Religionis, Quiritium postulata, supplicantium codicillos, inter Tuarum otia remissionum euoluis! Ne & beneficio tuo gratiam ex difficili quæras, diesque tibi omnis, sũma cum vtilitate Reip. summa cum laude tua condatur. Rectè cœlestium æmulam orbium nuncupaueris aulam Studiosissimi Antistitis, & illa actuosæ mentis penetralia. Ita isthic, suis omnia temporibus ac momentis continenter librantur! nisi quòd Antipodes procul habeat, qui ex Catonis animaduersione: *nec Orientem vnquam viderint Solem, nec Occidentem.* Tanta illic diuidui laboris obeundi consensio, in discordi argumento! Credas apum examina certatim in commune melliti operis laborantia, Te arbitro, Te exactore: in tantum iam ipsas quietis contrahente horas, vt frugalitatis & parsimoniæ commendationem legesque, ad *Publicanum illum mortalitatis somnum* extensas esse volueris, morē gesturus Romano sapienti: Circumscribēdam esse noctem, & aliquid decerpendum, quod ex illa in diem transferatur. *Virtutem non contingere somniantibus: discendam esse. Cuius hoc pretium est, nequaquam pretio capi posse.* Pridem hæc

Tu

Tu ô Præsul, non tã ex togati sapientis monitu, quàm è patriciæ eruditionis instituto hausisti; anxiè à Te ipso exigens, quod illi fuêre, qui Te solo nascendi ordine anteissent. *Recurrit enim ad similem Suorum imaginem præstantissima quæq; indoles, moribus non vultu referendam; & ad maiorum gloriæ imitationem, veluti quidam ad solem flores, arcano rapiuntur ingenio.* Premis hodieque impressa ad exemplum Excellentissimi Parentis Tui vestigia. In quo, nescias vtrum maior fuerit ciuilis fortunæ dignitas an religio? Honoris præcellentia an virtutis? O quæ illa morum grauitas comitati non officiens! quæ fandi elegantia, disserendi acumen, cæteraque Senatorij cultûs decora, illibatæ semper fidei calculo consignata. Quod enim comitium? qui Procerum conuentus, in exitium vel exiliũ Hæreseos coactus, cui auita PRAZMOVIORVM pietas, non adfuerit? non voce, non suffragio, non manu præiuerit? arcendæ non assenserit, proscribendæ non subscripserit? Quàm honorificum Tibi Tuísque, etiamnum in reconditis uetustissimæ memoriæ diplomatis, circumferri Vestra Nomina, sectæ Dissidentium degeneri inimica. Illud *contumaciæ rudimentum*, quà Terrestribus Notariorum sigillis pressum oppressumq;, quà castrensis Curiæ calamis punctum expunctumq; abscessit: relictâ facti gloriâ (quæ Vestra est) penes authores, in publica Terrarum, & Castri monumenta, suo merito relatos. Nota loquor, peruulgataq;

nobi-

nobilissimo Ducatui Mazouiæ, eatenus quoque felici, quòd Suorum culturæ noualium aduigilet: nè quà *Infelix lolium A-Catholicæ Nouitatis* pullulet, primâ extinguendum in herba. Olim, tam infesta Virtutibus fuêre tempora, vt *Optimi quiq; otio aut situ abstrusi, non nisi delationibus & periculis, in lucem ac diem proferrentur.* At nostræ felicitatis Temperator Princeps, ministerijs Reip. suisque, meliorum è censu legit prouehitque, & ostentat, quasi specimen & Exemplar: quæ sibi secta vitæ, quod hominum genus placeat; vt potè, cui beneficijs potiùs quàm remedijs Liberæ gentis ingenia, certum sit experiri. Patuit hîc vobis ingens honoris gloriæque campus, fortes animæ, germanâ charitate virtuteque coniuncti, SAMVELEM & ALBERTVM alloquor venerorque, illum Regni Curialem, hunc Volhyniæ Vexilliferos: non ferre tantùm aut præferre ad pompam Regibus prouincijsque signa Martia, sed eadem inferre hostibus, & conferre manus manibus, fatisque & mortibus occurrere paratissimos. Etsi autem: N*emo non quotidie* (quiritante Stoico) *consilium mutet aut votum*, vos attamen in omni actu vobis suppares, vobis constantes, nec iam studio militares, sed more, immò origine, usuque natalium eò perducti effloresceits.

Ferunt Megarensium populos ad sepulchra maiorum, comitia instituere, oraculo monitos: *Vt si res prosperè geri desiderarent, referrent ad Plures;* quasi multò plu-

res viuentibus defuncti censerentur. Palàm est: adornari à Te Illustre Honoris comitium PRÆSVL Ornatissime, in quo deliberatur: Non iam, quid Tu Reipubl. sed quid vicissim Tibi debeatur à Republ., cum qua identidem ponis calculum ad numeros meritorũ. Vt, serò decreta delatáq; Virtutibus Tuis præmia videri possint, qui tam citò saluti Patriæ prouidere & scires, & posses. Citarem itaque ad Pontificiæ Potestatis Tuæ comitia Maiores Tuos, nullis non Reipubl. functos honoribus, nisi adessent superstites, quà iure sanguinis, quà officio propinquitatis. Adsunt Tuis illustria Parentelis territoria. Adest non vacuo PRAZMOVIANÆ Virtutis nomine GABRIEL Terrarum Varsauiæ Notarius, Tuæ suæque felicitati subscribens, die hâc dierum auspicatissima, in chirographo pectorum connotatâ. Occurrit præcurritq; IOANNES PRAZMOWSKI, Terrori Gratiæq; immistus, illum ferro acuens, hanc nomenclatione adstruens; aucturus Fraterni amoris excubias, Suadâ & gladio, pro Lege & Rege decertaturus.

Adest geminatâ Virtutibus nobilitate, Fraterno sui Pontificis amori, honoriq; respondens FRANCISCVS PRAZMOWSKI Cathedralibus Craciaris ritè appositus præpositusq; vnicè gratulatus: mereri Te apud Maiores Tuos non modicùm; tum ex prosapiæ decoribus per Te auctis: tum quòd gentis Tuæ vestigium posteris

in faſtigio gloriæ non illis inaceſſo. Benè prouidenterque, germanum (breui Comparem,) immenſi qui Tuus eſt laboris in partem adlegiſti, agendarum regēdarumq; rerum prorſus nobile adiumentum; non tam neceſſitudini indulgens, quàm hereditariæ, quâ præpollet, prudentiæ præfiſus innixuſque. Cui maiora de ſe quotidie pollicenti, et iam præſtanti, (vt quondam Tibi) induſtriæ ſummus honor, iudicium Principis, ſuffragium Principis meruiſſe; vt votorum compos, Principi debeat gratiam, ſibi cauſam.

Supereſt iam, ſacranda Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo CONSECRATORI Tuo pagina, ſuam, amplificando nomini Tuo, operam ſtudiumque, obuiâ humanitate offerenti. Quàm lætum illi, amicâ Religionis manu, dicatum deductumq; Te, eo locari in faſtigio, Vnde, tantùm ſupra cæteros aſcenſu emineres, quātùm infra Te, acclini modeſtiâ deſcendiſſes. Et quidni, inter ſacra lætaq; Encæniorum tripudia, loco cederet? qui nuper Tibi (altiùs aſcenſurus) Pro-Cancellarij munere deceſſiſſet? Annulum, fidei indicem arrhamq; ad aras non traderet? qui eidem Tibi Sigillarem Regni gemmam (alio dotandus Annulo) tradidiſſet.

Nec abſq; numine factum reor, vt antiquiſſima Antiſtitum Cracouieſium Arx, *Kielecenſi* admota *Baſilicæ*, Tuæ Inaugurationis famâ clarior, magno Hoſpite impleretur. Pertinebat enim ad prima Pontificatûs Tui

auſpicia

aúſpicia, illud Præſulei ſplendoris auguſtale, quod è Regni Cancellario, Cracouianæ Metropoleos Antiſtes Iacobus Zadzik, illâ ipſâ æternitati architectante manu erexit, quâ tot alibi, vel templa Superis, vel ingentia in vſus ciuiles ædificia, nec non Orphanotrophia, hoc eſt calamitatis alienæ domicilia, ſuæ verò pietatis ac munificentiæ monumenta excitâſſet. Alterum diceres BOGORIAM, quem,

Magnificæ moles, & ſaxa loquuntur & aræ.

Nimirum, & amplæ illæ, tamque inſigni felices imprimis Conditore ædes, ad inquilinam tot Præſulum maieſtatem, tanto inſuper hoſpitantis gloriæ Tuæ acceſſu illuſtrari geſtiebant: & Tibi pulchrum erat, inauctoratum recèns verticem, intra illius inferre penetralia, in cuius iam olim eximias virtutes, par, ad maiores Regni ceras curaſque ſucceſſor, cum munere immigraueras. Quid igitur Amiciſsimo Dedicatori Tuo precer aliud? niſi *vt ſemper obliget, ſemperq́ obligetur* qui Te ſibi Collegam, nobis Pontificem, inter Faſciarum Tæniarumq; vincula obligauit ad Aras.

Extremùm eſt, quod ĩtegerrimæ Fidei Tuæ incumbit Præcellentiſſime Antiſtes: Fouere Iudicium Principis, quod de Te habet: eundemq; locum laboris & curæ, quem reuerentiæ dignitatiſque retinere. Fauet ille ſuis in Te Beneficijs, additurus etiam perpetuitatem muneri, niſi eam aliundè flagitandam nôſſet.

 Quãobrẽ


Quamobrem, circumfusus vndique, nunc Senatûs, nunc Equestris coronæ flore, collata in Suam Vnius Salutem vota omnium Vnus audiat habeatque: Vt, si Rempublicam ex mente, & vtilitate omnium Ordinum moderatur; si eius incolumitatem, si gubernacula in tutelam Cœlestium, recepta esse, vel fato hostium comperimus, vt finem facerent spirandi, quotquot in eius Patriæque interitum conspirâssent: si denique Se ipso quotidie Admirabilior Meliorque apparet, vt diu feliciterque contingat:

Jlli Patriam, Illum Patriæ superesse.



ANNVLI NVPTIALES,
Generis & Virtutum cælaturâ insigniti insculptis vtriusque SPONSI Dotibus
Illustrissimi & Excellentissimi Domini,
D. SAMVELIS CAROLI
Ducis in Korzec KORECKI Gubernatoris Ropczyc.
Nec non Illustrissimæ Dominæ,
D. SOPHIÆ DE BNIN
KONIECPOLSKA Castellanæ Cracouien.
Inter vsitata Magnatum Donaria & solennes gratulantium plausus oblati à Musis Collegij Send. Soc. IESV 1651.

IN STEMMA GENTILITIVM.



Ex alijs alios *Eques* inclyte quæris agones?
Non ſatis eſt tellus curſibus vna tuis.
Ne *Leſchi* vereare ſtylos; per *Lilia* tutum,
Et *Soleâ*, & *Gladio*, Gryphs Tibi fecit iter.

DVX ILLVSTRISSIME.

CONgruos Nuptiali Pompæ, & Tuæ accommodatos Amplitudini Annulos, in Sacrarium Ducalis Hymenæi contulimus poſtremi offerentium, à ſolius pretio materiæ placituros. Nam artem illis, feſtinata operis præripuit aut diminuit neceſſitas. Inter motus bellicos, inchoati veriùs quàm perfecti, vix bene coaleſcere potuerunt. Ab Illuſtriſſima SPONSORVM *manu, cæterū accipient*

nitorem & formam. Insigniant alij suos Planetis annulos, rotulas horologij affabrè moliantur. Procul ego habeo à Vestris Annulis erratica Planetarum sidera, ex quibus solus Mars hic inscriptus. Recta hic & fixa omnia, à gloriæ circulo non abeunt; nec tam orbes aut rotæ, quàm suæ fabri fortunæ insculpti cernuntur. Nam, pro stellata illa Reginæ BONÆ gemma, collata vtriusq; Domûs natalium claritas & virtutes præfulgent. Erunt qui tam hilari argumento inuitati, expedient ad Coniugalia festa Musas, sed comptas, sed ornatas, & quales deceat tam lautis interesse Mensis; affringent palmas, inspergent viam floribus, vt quidquid fortunatissima Tantorum Coniugum vestigia calcauerint, (vel alieno tempore) Rosa fiat. Promentur exquisita Illustrium Donatiua, non sine honorificis præfationibus & applausu. Nòs quorum à Tua beneficentia profectum munus, laudare est non donare, facem tantùm addimus, ad quam sudatæ aliorum Panegyres, læta Epithalamia legi possint. Non durabunt fortasse quæ scribimus; attamen quasi duratura tributario gratitudinis affectu dam⁹. De humanissima facilitatis Tuæ admissione securi. Sané in illo Magni Nominis Alexandro, non tam magnitudinem aut opes, non potentiam aut victorias, non trophæa, & subactas ferro gentes, quàm lenissimâ humanitate gloriosissimè triumphatas mentes impensiùs miramur. Genuinus hic videlicet Tuæ indolis character est, hoc emblema, hic color. Hinc relucens illa in aspectu amabilis dignitas, ille ad gratiam compositus decor speciei, &

supra

supra hominem prona comitas, propensaq; in militares præcipuè animas ad prodigium vsq; voluntas, sparsis in commune beneficijs cumulata. Tolerabilius idcirco est, experientiam Tui militibus (quos ornas & armas) quàm vsum negari. Planè vt apud Te miles armamentarium, sacræ familiæ stipendia, solatium pupillus, calamitosus opem, Cælites deniq; sua inueniant ornamenta. Quippè redux ab Exteris, ita peregrinitatem auersatus es, vt eam nec in cultu vestiũ ferre potueris, elargit⁹ aduentitia illiûs oræ serica in Diuorũ apparamenta, vt quorum tutelâ foris protegerere, eorũ Aras domi tegeres. Hi nos, inquam, vniuersalis beneuolentiæ Tuæ interpretes in spem erigunt fore, vt Nuptiales hosce Annulos, à ditissimo Nobilitatis Tuæ ærario non excludas, Aurum auro non addimus, quæ IOANNIS SKARBICII fortuna erat: non nostra, cuius Te munificum auctorem veneramur, non vnam Tuo ex munere tædam ritè Nuptiali Tripudio præferentes, ac identidem, votis Patriæ accinentes, praeunte Claudiano:

Continuent Superi, pleno Votiua fauore
Gaudia, successúsque nouis successibus addant.

ANNVLVS GENTILITIVS
Auiti Paterniquè Splendoris
ILLVSTRISSMI SAMVELIS KORECKI

IGnorat rerum pretia aut confundit, quisquis *Nobilitatem generis, fortunæ pedes* nuncupat ILLVSTRISSI-

ME Domine. Virtutis instrumentum est Nobilitas; nisi dotalem naturæ annulum dici malis, quo Equestris Gloriæ, nata aut quæsita sanguine, priuilegia consignat in maiorum ceris. Nasci splendidè Heroibus non fortuitum est sed fatale. Nec risus Zoroastri, nec Seleuco sua anchora tam est congenita, vt natalium claritas magnis mentibus. Concolores auro animæ Principum, fulgurant vel in cunis. Ex rudi etiam & informi conceptaculo, tamen scintillat adamas, & resplendet aurum. Præalta montium, & lucorum capita, priùs & liberaliùs illustrat planetarum princeps. Exposita ab Astyage Cyri infantia, ex ipsis ferarum lustris illustrior processit. Facit magna ex Magnis Tua indoles, DVX Præcellentissime, ne nobis in abdita perantiquæ Nobilitatis Tuæ descendere altiùs necesse sit. Vibrans hic Tuus Tuorûq; Annulus, annis nihilo obsolescit, sed in luce totius Poloniæ ac Lithuaniæ positus, immò pollici insertus Tuo, assiduâ tractatione se ipso splendidior apparet ex vsu. Hinc ille collectus ex diuturno fulgor, dum sese intendit per noua Illustrissimæ affinitatis incrementa, vt hostium præstringit oculos ac euerberat aciem, ita Ciuium obtutus, blandè violentus pellicit pertrahitque. Fuerit Pyrrho annulus, in quo admirabili artificio, suis quæque cum insignibus Musæ & Apollo tenens citharam, non arte expressæ effigies, verùm arcanâ quâdam naturæ vi impressæ cernebantur. Vnâ gemmâ ille Musarum

sarum choros, præsidemque Heliconis Phœbum complexus est; vno Tu Annulo Principalis Prosapiæ Tuæ, ingentes Tuorum animas, (quod operosa Archimedis nequiuisset industria) conclusisti! Numen mihi quoddã est, non imbelle aut musicum (quale Pyrrho) sed bellicum & campestre, Tui generis Princeps OLGERDVS: non plectro aut lyræ, sed hastæ, sed acinaci, & Martialibus clasicorum sonis à puero assuetus. Quid hîc recenseam illa virorum, nec enim Musarum nomina, Iagellonem, Korybutum, Naribundum, Languinum, Lubartum, cæterosque germanâ deuinctissimos caritate Fratres, in hoc vnicè anxièque intentos, ne plus paterni ad se sanguinis quàm OLGERDIANÆ gloriæ deriuarent. Et verò deriuarunt in tantum, vt laureis per tot discrimina quæsitis ac decerptis, orbem Lithuaniæ inũbrauerint, & perfrigidum alioqui Septentrionem, calentibus animorum armorumque studijs temperârint. Atqui nemo istorum non tubis addictior quàm tibijs Atheniensium, militarem Pæana, eruditis cantibus, molli harmoniæ, Martis buccinas, modulato carmini, tumultus bellicos, Daphnidi Bellonam antehabuit? vbi gladiorum non fidium percussione res geritur, frustra acuendis militibus, Tyrtæi vatis numerosa adhibetur oratio: præsertim quòd & virtus Martia suos habeat concẽtus, quibus consopitos generosæ mentis igniculos vel excitet vel adspiret. Ac tametsi magnorum fluminum ple-

rumque ignorentur ortus, tamen ad summa perangustæ originis Tuæ capita, (per trecentos & vltra annorum flexus & fluxus) relabenti mihi, illud sufficerit, si vel obiter libare fontes liceat, ipso antiquitatis præiudicio venerabiles & sacros, GEDIMINVM loquor & OLGERDVM, duo fulmina Lithuanorum, duos vicinarũ gentium Terrores, Liuonicis, Prussicis, Theutonicis, Moschouiticis, Tartaricis, quà expeditionibus, quà victorijs memorabiles. Quorum ille Vilnâ conditâ, Vrbis auctor & parens, hic eâdem legibus constitutâ, subactis circum prouincijs aut pacatis, paterno operi vltimam veluti manum adiecit, haud facilè habiturus rerum à se gestarum æmulos, nisi ex se, pro se victuros reliquisset. Sic ille raro felicium exemplo, quasi alteram Elysij arborem in multiplices discerptam ac diffusam ramos, ad vsque florentissima suæ stirpis, (quam vnicè repræsentas & alis) tempora felicissimè propagauit. Age patris & Tuâ virtute IAGELLONVM Fortunatissime, qui vt nascendi, ita regnandi ordine maior Fratribus, à Ducali mitra ad Regium Diadema, ab hasta ad sceptrum, à claua ad clauum Imperij, suffragante virtutibus electione vocatus es: tunc cùm suppar tanto nomini CASIMIRVS M. vltimâ rerum lineâ, PIASTI lineam intercidisset, luctu omnium Ordinum comploratus. In Te vnum videlicet ac primum, *Casimirianæ magnitudinis*, & regiorum moles operum incubuit, delati fasces imperij, aucta dignitas ma-

tas maieſtate eſt. Quanto olim tripudiaret gaudio, magnæ ſatur gloriæ OLGERDVS, ſi in Te ſuas coronari virtutes & promerita e vicino ſpectâſſet. Quum Te Principe, te & auſpice Lithuani Ducatûs plena animæ membra, vnum Reipublicæ coaleſcerent in corpus, vnâ Principis mente & ijſdem legibus temperandum. Crediderī ſacro illo è fonte, quo primùm in Tui Tuorumq́ue ſalutem Cracouiæ tinctus es, tot publicæ felicitatis auctaria in vtroſque terrarum populos redundauiſſe. Eò hæc attinent paulò altiùs repetita, Illuſtriſsime Vir, vt in confeſſo ſit: quàm exiguo à Regibus confinio dirimaris, Tu qui OLGERDIANI à primordio generis, per IAGELLONICI ſerenitatem Sanguinis, vtriq́ue congener, luculentum, à Maioribus, à Te illuſtriſsimum deducis genus. Hâc inſuper natalium prærogatiuâ ſingularis, vt militari in domo genitꝰ, ita exciperere, *vt profectò priùs tubarum cantum, quàm nutricum nænias audieris, habuerisq́ pro crepundiis tympanorum ſonum, & quam primùm hauſiſti oculis lucem, armorum fuerit.* Mihi certè in Veſtrum Equitem accuratiùs intuenti, illa ſubinde oboritur cogitatio, magiſnè in vitā editi, an inuecti KORECIANI Principes videantur? vſque adeò in Equeſtres bellorum curſus, in equo naſci Proceres neceſſe eſt. E longinquo hactenus inter micantia Proauorum lumina Tuo contemplatus in annulo DVX Illuſtriſsime, propiùs iam admoueor imaginibus, non marmore aut ære effictis, ſed quæ

 vt mate-

vt materiam & artem sibi debeant, à Te, formâ mentis æternâ animantur. Vt enim totam incurrit in palpebram cælo & solo Wolhyniæ aspectabilis Auus Tuus, ita Prouinciam Palatini honoris obire solitus, vt mitram inter ac purpuram positus, dum multorum vnus tractat munia, Senatoris alibi, alibi Ducis numeros expleret. Rectè igitur, & ex merito ducendi per Wolhyniam ac moderandi exercitûs, more institutoque Palatinorum, delata ad BOHVSSIVM potestas est, cui Pacis æquè ac belli artibus erudito, & melioris militiæ instituta foris cognita, & domi legum iurisque patrij peritia in promptu esset: vt consilij auctoritate in Curia, ferro in acie, illic consultissimus hic fortissimus, Catonem aliàs, aliàs referret Scipionem, manu pariter expeditus ac linguâ.

Quis Te verò IOANNES CAROLE Terrarum Wolhyniæ Castellanum, toto exstantem vertice non celerrimè internoscat? Vno auitæ Nobilitatis Annulo Tua Vir Amplissime non capitur magnitudo. Miras tot operum cælaturas, tot hostium spolia & manubias, castrorum fasces, mitras Principum, Tribunalitias curules, Vexilla Equestria, nec ille ipse, qui vno omnes annulo Principes complexus est, Scriba Claudij insculpserit. Quis enim vel multa paucis tàm prosperè includat, vt illam animi supra humana eminentis magnitudinem exprimat, quâ Sudermanici furoris carceres, & catenas (nam & in hanc eum Scyllam fortuna maris Balthici impulerat)

pulerat) nullo Patriæ aut suo merito perpessus est. Nihil tam erat clausum ad exitus, tam septum ad custodias, tam inaccessum ad alloquia, Sueticis limen insidentibus, ac verba, nutus, propemodùm & cogitata CAROLI obseruantibus! At enim captiuo corpore mens libera adstringi vinculis nequibat. Quàm deinde iucundum Tibi, per aduersa ad vsum secundorum venisse! postquam piratica illa inhumanitas ad Suæ Columnam constantiæ infracta est. Tuo tunc non Stoici è sensu didicisti: *Mare fortuitorum capacissimum; adeòq; molle virtutis non esse tirocinium; quos experitur indurat.* Habet has vices mortalium conditio, vt fatis alternantibus versatilem scenam instruat varietque momento. O tenebras illius carceris, sole ipso clariores! vbi primùm animo obortâ luce, & Schismaticæ caliginis deprehensâ à Te depulsâque nocte, & Theutonicæ vltionis edomitâ vindictâ, Suecorum pariter Græcorumque contumaciam, obstinatâ in arduis tolerantiâ peruicisti. Itaque ne tum quidem posito depressoque supercilio, vinctus vincientibus altior, inter minarum fremitus, & conuicia (dicamne Myoparonum) summis ridebas in malis! vnicum Tibi calamitatis remedium innocentia, quâ Te inuoluens, tela interim fortunæ quàm minimùm sentires, Etenim:

Celare qui nouit sinistros,
Ille potest benè ferre casus.

O illum duplici gaudio lætum diem! qui Te simul Patriæ desideratissimæ, simul Orthodoxæ restituit Ecclesiæ, votis vtrinque consonantibus. Atque vt solitaria plerumque non incedunt infortunia, prolusum opinor isthic à Te Fraternæ fortissimi SAMVELIS captiuitati; adeoque Sueticas compedes, Othomanicarum fuisse omen. Equidé spectâsses in CAROLO alterũ belli Turcici fulmen ô Polonia! nisi quinquennalis ille carcer (ô factum Sudermaniæ pœnitendum) & vincula, penè erepto pedum vsu, attritâ valetudine, vires non animum ademissent. Ergo ille retardatos, alienæ improbitatis iniuriâ Martis ardores, dum effusâ Beneficentiæ alaceritate studiosiùs compensat, primum omnium auitâ sui Ducatûs in vrbe templum, Romanæ receptaculum atque Arã Religionis molitus est; Bellum Ciuile sanis discordibus feciali aggressione indicens. Solo ætatis Honorisq; subsellio, magno minor Parente, cæterùm fortitudine, ingenio, solertiâ gerendarum rerum, haud quaquam inferior, geminum virtutis in vtraq; fortuna, extare voluit exemplar. Felix quod IOANNEM CAROLVM CHODKIEVICIVM, Auunculum planè Hectorem, eiusq; insignia, materno cum Sanguine ad se traxisset: expressurus ad vnguem pugnaces Gryphos consanguinei bellatoris: dein laudatissimo cum Fratre Lauream, ne solus vinceret, diuisurus haud ex vano, si Viro in omnem fortis aleam erectissimo, fracti ægritudine corpusculi habitudo

bitudo respondisset. Accipies Tu tamen eundem immortalitatis in currum SAMVEL inuictissime socialem germani fortitudinem, nec sine CAROLO magni sanguinis Compare, in Capitolium gloriæ vehêris. Verùm ego in tam continuo laudum Annulo, toties in gradum reiectus exitum non reperiam, nisi me inextricabili hærentem ambage, fauentior Ariadna, exorsæ felicitatis filo aureo expediat, suas inde festinantem in laudes.



ANNVLVS SPONSALITIVS,
Dotalium Virtutum & Sanguinis *Illustrissimæ Dominæ* SOPHIÆ à BNIN KONIECPOLSKA, De Gente OPALINIA.


Entilitij fulgoris Tui annulari vtcunque euolutum orbe, Clarissimæ affinitatis *antiquo iterũ me vis includere circo* MÆCENAS ILLVSTRISSIME. Nempè aliud mihi ex alio negotium, iucunda felicitatis Tuæ cogitatio imperat, quod tanto proniore obsequij cultu exequor, quantò certiùs Polono Orbi constat: à Te, Lectissimam vitæ sociam *in decus & gloriam esse adsumptam.* Facilè desideria æquantem Tua, quòd iam olim inuidendâ viris conditione (magni

Dux fæmina facti) genus & fortunam suam animo adæquauerit. Et quoniam pace belloque parta decora (Illustrisimæ Consortis Tuæ dotalia ornamenta) in aureo Nobilitatis Tuæ Annulo, nec omnia nec integra sculpi possunt, excludi nullo modo; eapropter in tam frequenti claritudinum congressu, commune mihi cum pingēdi artificibus capiendum esse consilium animaduerto. Ingentem illi hominum multitudinem perexiguâ complexuri tabellâ, primos duntaxat agminis, integros effingunt, alios pectore exstantes, summo alios vertice eminentes, alios denique in turbam conijciunt. Eadem & mihi consilij ratio, vt partem tantummodò de infinita confinis gloriæ possessione, ad oram Annuli stylo exarem, partem ad posteros commendatione transmittam, multa ad solam rectè factorum conscientiam, pleraque in memoris Patriæ sinu recondam, æternitati insculpenda nec tâm laborabo quid illustribus omnium debeatur meritis, quâm quid præsens multorum modestia pati possit. Quantumlibet intelligam, hîc omnibus implenda vela ventis, hîc immitendos rudentes, hîc toto esse ingenio nauigandum, vbi laureata Argo, vnà cum suis Proceribus ad insulam gloriæ vrgenda est, si vrgeri opus habeat, quæ remis consiliorum commodiùs quàm Scriptorum calamis promouetur. Præsertim quòd OPALINIÆ Nauis, coronati suis laboribus Heroës, non Colchici spolij sed Lechici Imperij nutantem fortunam

(Senato-

presſis manibus tenentis, & cùm aliis, tum Pomeranicis præliis & Victorijs celeberrimi; ſacris alij, alij ciuilibus Legatorum munijs inſigniti, ſolo cæleſtium orbium circuitu capi poſſe videantur. Ego ita ſtatuo: ſi quis ciuilium gnarus artium, aut politioris prudentiæ, longo vſu edoctus, tacitè ſecum reputet, quale quantumque optari coniugium oporteat, vndè certior publicæ felicitatis gloriæque acceſsio ſperanda ſit, eiuſmodi illud ſolerti cogitatione expreſſurum: in quo illuſtres ceræ, æqualis nubentium ſplendor, pares amborum virtutes, eodem annulo ligarentur. Quod ſi pars magna felicitatis eſt, nôſſe ſe eſſe felicem, vide PRINCEPS ILLVSTRISSIME, quantùm pretij, ſplendoriſque limatiſsimo alioqui nobilitatis Tuæ Annulo acceſſerit ex gemma. Te loquimur heroicam prorſus Nuptam ILLVSTRISSIMA KONIECPOLIA. Quidni Te Ducalis Annuli Coronamentum, congruo Tuis moribus prænomine gemmam vocemus? quam Senatoriâ OPALINIORVM è domo, velut ex alto magni ſanguinis expiſcatus Polonorum Mars STANISLAVS KONIECPOLIVS, ad conſignanda pectorum votorumque arcana, iure Martialis connubij poſtularet. Habiturus aliquando (ſi fata ſiuiſſent) quâ cum domeſtici molem negotij partitus, curas ipſe Caſtrenſes animo obiret, manu gereret, domi ſecurus, militiæ glorioſus. Iam ſi experimento Plinij, inter coruſcantis cœli

tonitura gemmæ proueniunt generosiùs; omninò par e-
tat illud nobile Margaritum, inter fulgura armorum, & frequentia clasſica, velut natali in ſolo, & acriùs intendi, & ſplendeſcere viuaciùs, & in maritam primi Subſellij dignitatem grandeſcere. Et poteras Tu quidem planè maris animi Heroina ſub illo campeſtris tentorio fortunæ, illo caſtrorum ſub Præſide & Parente, explicatis hic inde maritalibus Vexillis, Bellona iam videri aut armata Pallas; proque vetere Campi Domina inuocari: niſi acerba ſemper, & vel maturis æternitati Heroibus immatura mors, erepto exercitibus Imperatore, Clauæ Hercule, Tibi Coniuge, triumphalia lugubribus confudiſſet! Quem etſi omni coronarum genere ornatiſsimum, tamen etiam tum grande aliquid molientem, paucis à Nuptiali pompa menſibus oppreſsit! poſtquam tot laureas orbi dediſſet, quot bellicoſiſsimis quoque gentibus ad exemplum ſatis forent. Paulatim a ſuo deceſſu accedentibus ad Patriam fatis præmortuus, imperatoriã animã vitæ neciſque Imperatori Deo redhibuit! Vetere effato: *Ducẽ belli, ſi bonus ſit, haud poſſe perdiu vitalem eſſe.* eatenus quoq; percarum omnibus ac deſiderandũ, quòd proſpexerit ne deſideraretur, relicto præliaris ingenij filio, Regni Aquilifero, in quem Patria, inter bellorũ diſcrimina ſubinde reſpectaret. Ita Supremꝰ ille exercituũ Ductor, triumphali à rogo, facem Ducalibus tædis addidit, Tu eam reciproco omine trades hoſtibꝰ, fatalẽ ſibi pyrã
his

his ipsis ab ignibus accensuro. At quorsum hæc tot nomina luminaque Principum conserimus? nimirum, vt Sagorum & togarum ostentatione, collatis conglobatisque tot splendoribus, etiam caliganti ad alienam felicitatem inuidiæ perspicuum sit, ad quanta mutuæ Serenitatis luminaria (ô vernantes flore ætatis animæ) nubatis. Vt iam Epirotarum Regi de laude nil concedas, accersitâ in Annuli ambitum vnâ è Gratiis, præ qua Musarum Numina haud optares. At nec illa sublimi Celsitudinis Tuæ de se iudicio pugnaciter aduersata, principem illum affectuum Amorem, victricibus Sponsi laureis inclinauit. prærreptura haud dubiè palmam Liuiæ, cui præter ingenium experrectum & solers, tanta in commune consulendi felicitas, nihil vt consultissimus alioqui Octauianus Imperator vnquam suscipiendum putaret, priusquam Augustæ vxoris arbitria & sententiam explorâsset; eo boni publici, eo priuatæ securitatis exitu, qualem à solertissima iuxtà & fidissima expectari fas erat. Inuenisset sui nominis æmulam Arthemisia, à Xerxe in consortium tori & consiliorum adlecta; neque sola inter Proceres, raro Persarum exemplo, rariore fæminarum priuilegio adsedisset. Ibis quin Tu etiam per sacraria Hymenæi, ad conclauia mentis intimæ, eò dignior immitti in adyta cordium, quò illis fide melior, & vel ipso SOPHIÆ nomine sapientior, à forma pariter, & à virtute, suffragium accepisti: non

non aliud Tibi ex fortuna Mariti, quàm gaudium vendicatura. Præterquam quòd omnes in Te virtutum species collegeris, vt natiuo luminum vigore prædita, nec serenam carbunculi indolem, nec cæleste Sapphiri ingenium, nec auream Chrysoliti gratiam desideres, per raris bonorum dotibus ex abdito verecundiæ colluces! vt citra alter us inuidiam exclamandum sit:

Et hæc decoræ nube modestiæ,
Extinguit aurum vilius aspici,
Gemmasq; nolentes latere, Sarbiew.
Moribus ingenioq; celat;

Aspasiæ modestiã, Corneliæ facun diã, Plotinæ tolerantiâ, Tanaquilis magnanimitate, longo post se interuallo relictâ; vt dubitare cogamur: *Vtrum sit efficacius ad ad rectè viuendũ, benè institui an feliciter nasci?* Sublata itaque est deliberandi necessitas, quàm potissimùm expeteres; Deo necessitudinum auspice id agente, ne tam pares animæ, dispare annulo clauderentur. Errare in persona Vir solertissime haud poteras, cui ex vsu est, vti casum in consilia non admittere, ita optimos quosque sub signa legere, ad Martis & vitæ militiam, è diuinæ mentis oraculo agendam; à Te præcipuè bellatricis familiæ morem, quà moribus Tuis, quà vestigijs armati Equitis continuò premente. Debes enim hanc Vir Illustrissime NARIMVNTHO GILINOVICIO, Tuos inte[illegible] [illegible]emmatis

Meta-

Metamorphosim: vt Centaurum, vetus Maiorum insigne, domo expediens manu-mitteret, commentitia signorum figmēta, veris nimiùm permutaret imaginibus, fuctu cóóptati Equitis ad posteros continenter transmisso. Hinc solenne est KORECIIS in hanc vitæ ac generis lucem venire, immò inuehi armatos, vt simul naturæ tentoriis euoluti, simul accincti militariter, famæ hereditatem adeant, bella fortium bellaturi! Hoc sanè est, ad emerenda Martialis gloriæ stipendia, penè in cunarum fasciis conscribi, nec ante in viuis censeri quàm in armis. Nulla hic adeò ætas non Marti idonea, vbi controuersum esse cæperit: num optabiliùs sit nasci an fieri Heroas? Nobis interea Sandomiriani montis è fastigio Martiales impetus incitatissimi Equitis Tui mirari eminus liceat, non morari.

ANNVLVS MILITARIS
Bellicæ Fortitudinis,
Gemino eiusdem nominis & ominis SAMVELI DVCIBVS in KORZEC insignitus.



Nuptiali Annulo ad Militarem, hoc est, ab aureo ad ferreum prouocor, Illustrissime Domine. *Ferro quippè non auro miles indiget: Bellum ardore geritur non nitore.* Quam vel-

let Pænus Annibal arctum (è bellicæ seueritatis præscripto) gestauisse annulum, qui soluto per laxamenta Campaniæ exercitu, æternitatis certissimâ sponsione excidit, ad quam detractis Romanæ iuuentuti annulis, Victor palmarius nobile ius habebat. Quanto & mihi erat tutiùs, geniali dicatos lætitiæ versare tractareq; annulos, quàm strictis micantium gladiorum fulgoribus, immistum, KORECIANI Bellatoris effusissimam gloriam lento passu vrgere. Habe igitur Illustrissime SAMVEL cum Victorioso Patruo SAMVELE KORECIO, separatum à Maioribus, gloriæ annulum, vt quanquam auita paternaq; illorum decora in communionem à Te gestorum admiseris, tamen in tanto sanguinis & virtutis confinio, annis & annulis distinguātur. Et patieris Heroum gloriosissime, Turcarum Terror SAMVEL, ex immensa Tuarum laudum segete, in fascem æternitatis iam collectâ, vnam à me proferri adoream, offerriq; (ritu Orientalium) Tui Nominis & palmarum Heredi ac Nepoti SAMVELI, eâ lege, Connubialia Hymenæi sacra instituenti, vt pacto bellorum sacramento, sponsum se Bellonæ meminerit; semel datam Marti dexteram, aperto semper probaturus in campo. Nec subuerendum mihi est, ne minùs à Te agnoscatur SAMVEL, cuius ipse speciem altè conceptam animo gerit, virtutem & palmas inhians meditatur. Vrget ille magnis etiamnum Patrui calcaribus dome-

domeſtici Equitis bellatorem equum, ad metam æternitatis (ea enim demùm præfixa eſt) conſtiturum. Nuſquam à calle ingentis propoſiti aberraturus, quia notis cordatiſsimo Patri Patruoq; itineribus, per veſtigia trophæorum, ijſdem propè paſsibus eòdem contendit; ne per ſpeciem quidem (vt quondam verſatili commento Vlyſſes) de laudum tramite decedens. Quantam Tu Excitatiſsimo Nepoti Vir Magnanime impoſuiſti neceſſitatem, ad ardua quæque Tuorum auſuum connitendi! Eo enim faſtigio, deducta ad culmen Tua extuliſti promerita, vnde vtrique ſpectandus monſtranduſque Orbi, quales in Aſiaticū prædonem gerebas animos, teſtareris. Othomanica illa turris, in quam Te ſecundùm iam amor triæ & Tuus ardor egerat (ne ſic etiam ſatis captum) quid niſi Pharos inclyta videri debeat, ex qua Martialis animæ ignes promicant , per omnem quà latè excurrit diſpertiendi Europam. Ad Te cumprimis Illuſtriſsime Domine, faces illæ generoſi pectoris, conſanguineo iure attinent, Tuis miſceri tædis præoptant, Nuptialia conſerenare hilaria, nî abnuas, paratiſsimæ. Vt qui eas iam pridem ingenitæ virtutis immiſcueris igniculis, ab ijſdem (firmate iterum vota Superi) infelicem rogum ſeruis rebellantibus accendas. Ferunt Caligulam ex Oceani ſpolijs (ita conchas vocitabat)turrim altiſsimam, imaginariæ in ſignum victoriæ excitâſſe , de qua , velut ex Pharo noctibus ad regendos nauium curſus emicarent

rent ignes. Hoc vnum, inutilis cæteroqui Princeps, nautis memorabile, maximum (vt rebatur) operum posuit monumentũ. At Tu, *Famâ super æthera notus*, illa ipsa è turre luculentissimam armorum flammam ostentas, nauigaturis ad insulam gloriæ argonautis. quorum ipse è collegio egregius, & quasi ductor *alti Nauita Sanguinis portum non soliti nominis attigisti*. Nemo iam Bizantini carceris Turrim illam, funestis multorum cædibus & mortibus, atratam abhinc dixerit, cui idem ille immortalitatis candidatus, album pulcherrimâ morte calculum adiecit; dum elisis dirè faucibus victorem spiritũ Deo exercituum cessisset: victurus! nisi Othomanica, ex metu trepidaret porta, ne, vt Philippo Macedonico Periclis gladius, ita KORECIANVS Turcico fatalis fieret dominatui. Habes tu tamen & iusti, amisso Patruo, doloris, & iræ vindicis nobile irritamentum. Vnã Tu quoq; ceruicem, sed voto dispare, Musurmanicæ velles tyrannidi, ne illam, quot gentium tot capitum belluam, Lernæâ fecundiorem Hydrâ obtruncari toties necessum sit. Hinc illa Tibi (dicamné à Scipione Tuo transfusam) in perpetua bellorum meditatione defixa mens! hinc expediti ad cursum Equitis elata semper in ictum dextera; nec vnquam irritis circumacta momentis. Quàm optabile Tibi DVX Illustrissime gestienti nôsse: vbi aut quemadmodum Turcarũ illud Scytharumq; fulmen SAMVEL, secundis hostem

stem prælijs fuderit, incursantem auerterit, prædabundum contuderit, & quà Polonicis onustum, quà Vkrainensibus auctum spoliis circumuenerit, ac velut Numen quoddam captiuis opem tulerit, abacta restituerit, vindicauerit. Quàm porrò magnificum habere in numerato pugnas & victorias, Dacicis, Moldauicis, Zaporouiticis excursibus quæsitas & repertas. Quid actam in castris ætatem? quid pericula vltro adita & exhausta? sudatas in galea æstates, tolerata militiæ hyberna, libatum hosti sanguinem, Tyram transmissum, Borysthenem, Danubium, strage barbaricâ cruentatos. Quàm denique iucundum Tibi, illo Duce, quo & Patruo, hodieque è castrensis disciplinæ legibus (si res ferat) ferre inediam, ferre sitim, omniaque militaris disciplinæ modo finita, & quasi annulo coarctata habere. Nam locorum opportunitatem, itinerum interualla, oppidorum situs, pagorum positionem, fluuiorum nomina obseruare ac pænè digito monstrare vsitatum. Veniet igitur fuitque iam tempus, quum Te cupido incesseret noscendi, qui sudores eius Cetloræ campus hauserit, quas cruore fossas tinxerit, quibus eruperit munimentis, & modò singulos Turcarum centuriones voce, & manu prouocauerit; modò è proximo adequitans, modò instans ferociùs, agmen hosticum turbatis Ordinibus protriuerit, Chmiecio & Farensbacchio, virtutem pariter & exemplum secutis: Skinderbassio iuxta & Cantimiro admirantibus

 forti-

fortitudinem, quam odiſſent! Nunquam ſanè illæ Cetſorenſes ad Cannas, triſti exemplo, cæſis captiſque ducibus, deleto fugatoque exercitu, primæ Nobilitatis flore decuſſo, Ducis capite ſuperbiſsimè oſtentato, ſpectâſset cladem, niſi grandibus cæptis inimica ſemper diſcordia intercedens, fortunatos ad eam vſque diem ſucceſſus ZOŁKIEWII & KONIECPOLII, reſcidiſſet! Adeò longas in hoſtem Tuo Equiti manus natura indidit liberalior, vſus gladium expoliuit in cote aduerſorum. Illum, inquam, gladium, tot decorum patratorem, publicæ ſalutis vindicem vel auctorem, vltorem certè barbarorum, perdomando faſtui Saracenico vnicè factum, eminùs & cominùs formidabilem; quodque longè glorioſiſsimum *ſepties triumphalem*! Itaque non *externo monitore petendus, virtutis Tibi pulcher amor*, cùm præſtò domi habeas acerrimum hortatorem, in cuius nomen, & mores, & præliarem genium immigrâſti. Demetrium Iwanowicz, Moſchorum Ducem recenti victoriâ inſolentiùs elatum, & arma inuicto ad id temporis OLGERDO Lithuaniæ Principi ſuperbè minitantem, nobili facinore coërcitum accepimus. Miſſo etenim per tibicinem accenſo fomite, (feciali bellorum interprete) illud inſuper monebatur Demetrius; Olgerdum, antequam hæc ignium fomenta deflagrauiſsent, affuturum illicò, deque improbâ illius, & præferoci ſuperbiâ poſiturum trophæa; nec irritas fuiſſe minas comprobauit

bauit euentus; quum hastâ in arcis pariete defixâ præfractâque hostem prætumidum domuisset. Ex illo tu videlicet fomite tractis in præcordia incendijs, in rebellium perniciem exarsisti, non ante desituro belli fomite, quàm deessent hostes. Quid hîc memorem subitarias excursiones Tuas, iam obsequio Principis, iam securitati Patriæ, iam Ciuium fortunis, vitæ, sanguini, officiosè impensas; ad pompam in publico, ad gloriam in exercitu, in Curia ad patrocinium Æquitatis. Ecquis mirari satis nè dum effari possit, perexiguis Tuorum copijs, latrocinantes rebellium centurias, immò integras fermè colonias ferro compressas! palantibus per agros profugorum reliquijs, facilèque in Tuam venientibus potestatem, qui præ timore exièrant de sua. Neque vtendum Tibi in sicarios clementiâ putauisti, quòd peremptos à se Dominos, violata Procerum sepulchra, perfossas templorum aras, Sacra modis indignissimis proculcata faterentur. A parsimonia vilissimi sanguinis commendari tum Tibi præposterum videbatur; cùm suas effrenata rusticanæ impotentiæ vesania partes ageret, capace furoris in circo. Stabunt igitur præclari Tuorum facinorum testes tumuli, & aggeres, è congestis cæsorum cadaueribus assurgentes. Erunt illa nulli obnoxia inuidiæ, nullis demolienda seculis, & Tuæ trophæa fortitudinis, & execranda seruilis contumaciæ monumenta! Tunc enimuerò, si vnquam aliàs famâ præsentiæ Tuæ latissimè cir-

cumulatâ, Pacificator Volhyniæ auditus es, confluente certatim ad Te velut ad aram salutis publicæ, exulante & decisâ Nobilitatis fortunâ; *quando tempestatem fugientibus, omnis pro portu statio habebatur.* Equidem per illam ciuilis procellæ tempestatem, sereniùs Tua emicuit indoles; accedente hostium confessione, Te illum à Patruo gladium & brachium in vsum non in speciem accepisse. Magnum est ipso Tui Nominis terrore securitatem vrbium fundâsse; admirabiliùs tamen non dubitâsse, ne præstari non posset, quod incredibili celeritate posse fieri docuisti! Quis Te autem (nisi hostiliter Tuam admordeat lauream) à Zborouiani Martis gloriâ, secernat abstrahatué? Quo enim nec triarium parendi necessitas, nec gregarium vlla mercedis auiditas impulisset, eò Te Tua virtus tutandæ saluti Principis deuotissima, per aperta Tui capitis discrimina, vitæ immemorem, memorem Patriæ rapiebat; insonante identidem tubâ Liuij: *Meliùs peribimus, quàm orbati Patriâ viuemus!* O virum lucis æquè ac hostium contemptorem, elato fatorum sub ictu intrepidè perstantem! Cuius id tandem fuit animi, summam periculi in sese auertere, vel sustinendam acriter, vel fortiter frangendam? Quod si primâ expeditione Dux æstimatur, sola hæc (vt abessent cæteræ) ad omen futuræ prosperitatis abundè sufficiet. *Non magis ex inspectis cuiusq; in ortu sideribus, tenorem vitæ præcinunt coniectores,* quàm ex Tuo Equite prodeun-

deunte in aciem, reliqu æ cursum militiæ præsensit, experientissimus bellicarum artium & mentium IOANNES CASIMIRVS, alterum suo Exercitui SAMVELEM, & sibi gratulatus. Datum hoc erat virtuti incomparabilis Patrui Tui, vt quanquam *Rectè facti, fecisse merces esset*; tamen Regale SIGISMVNDI III. (laudum parcissimi) commereretur Elogium: *Haberet plures Polonia* Koreccios, *profectò Scytharum irruptionibus Polonia, haud pateret.* O verè supra fortunam Achillis, fortunati ambo! eò maximè nomine, quod pro domestico laudatore, à basilica tubâ par præconium acceperitis! Illo Tu tamen felicior Samuele dicendus es ILLVSTRISSIME SAMVEL, cuius obsequium, fides, ardor bellicus, non auribus, sed oculis præsentissimi Principis libatus est, virtuti verò puluerulentæ & sudoribus perlitæ, eadem in acie subscriptum! Nec est quòd vltra promouea n in panegyres calamum, vbi vno omnia supremæ Maiestatis elogio exhausta sunt; vt iam formandi nectendiq́ue mihi reliquos virtutum Tuarum, annulos vlterior abrupta sit cogitatio Posteaquam Sarmatici Trajani iudicio & oraculo laudatissimus, sparsam per contubernia militum famæ gloriam, ad nostram quoq́ue, & futurorum conscientiam extendisti. Quocirca cæptos à me institui, quà munificæ pietatis, quà tribunalitiæ æquitatis Tuæ Annulos, facilè patiar peraugusto hoc regalis encomij, annulo consignari.

ANNVLVS OMINATORIVS.

FOrtunæ Annulum Tuos inter Annulos ne quæsieris ILLVSTRISSIME Domine, quam olim iam à Tuo comitatu expediueris veteri formulâ: *Nihil mihi tecum est Fortuna.* Fingitur illa suo cuiusque arbitrio, manumque sequitur ducentis. Neque colitur, nisi ab illa hominum secta, quibus extortâ sui Religione, ementito Deæ vocabulo, merâ Numinis imposturâ illusit. Serenissima Clari Montis Inquilina, verioris apud Te Fortunæ Nomen & Numen obtinet. Illam Tu solenni precatione & donarijs, colere & ornare solitus, imperatis Tibi è voto itineribus, frequentas vt Oraculum, obseruas vt Principem. Nusquam aliàs (ita Te Amabilis MATER amet) spatij plùs in studio & stadio pietatis decurristi. Alibi Equitem iure & more hæreditario, hîc Peditem Reginæ Cœlorum agere placuit: relictis in puluere vestigijs, documento: quantis passibus in MARIÆ obsequium eundum sit! Ferat in digitis ominatorios annulos Iàrchas Indorum Rex, deque eorum collisione Oracula & auguria deducat. Longè certiùs futuræ prosperitatis omen, Illustrissimæ Celsitudini Tuæ dabit, par illud nobile Annulorum, quos vt potè Sponsalitios, Sponsæ Diuinitatis vnicæ MATRI Virgini, Częstochouianam supplex deuouisti ad aram. Illicò responsuram Tuæ fidei Matrem spei ne dubita. Regalis illa genij cùm sit, vinci se à Clientibus non sinet. Nihil ei tam

cordi

cordi est, quàm suorum desiderijs, vel cum Naturæ præiudicio morem gerere. Cæcâ veriùs quàm constanti fortunæ indulgentiâ vsus Polycrates (hoc est infelicis exemplum felicitatis) experturus an esse infelix aliquando posset, iacto in mare annulo expectauit; sed auarum alioqui elementum, gemmam respuens (ceu proiectum temerè beneficium non porrectum) restituit in pisce. Missos à Te in Mare Gratiarum Annulos, reciprocante Oceano redituros ad Te in Æternitate (quam Annulis desponsâsti) præstolare. Quin & in tempore, votiuum pignus optato pignore repensura Dei & Hominum Parens illa, *simili faciet Te Prole Parentem*, has ipsas olim perreptaturâ ad Aras. Ita faxit Summus fœderum Arbiter, & Sancitor Affinitatum. Ita Concordibus Amicorum, Patriæque optatis fauens, plaudensque subscribat Cælum.



MAVSOLEVM.

EQVITIS KORECIANI

Æternis Virtutum Gloriæque Characteribus
Inscriptum à Collegio Sendomiriensi Societatis IESV.
Inter Exequias
Illustrissimi & Excellentissimi
D. SAMVELIS CAROLI
KORECKI,
DVCIS IN KORZEC,
Gubernatoris Ropczycensis, &c.
Sub Auspicijs Illustrissimi Heredis
SAMVELIS COMITIS à LESZNO
Palatinidæ Derpatensis
Anno Seculi, M. DC. LII.

IN EQVITEM KORECIANVM.

S. D. G.



K. K. R.

Parcite Curriculo, *Spes & Fortuna*: Supremas
Constitit ad metas KORECIANVS EQVES.

AD

EQVITIS CORECIANI
AD ILLVSTRISSIMOS
HEREDIS TVTORES COMITES
à LESZNO.

BOGVSLAVM LESCZYNSKI Thesaurarium Regni, Maioris Poloniæ Generalem, RAPHAELEM LESCZYNSKI, Succamerarium Bresteñ.

FEstinatâ SAMVELIS KORECII in morte, fatis an hominibus irasci oporteat, ii viderint, quibus in abdita rimari mos & fas Illustrissimi DD, Mirari volucrem rerum humanarum cursum, non indignari, eos convenit, qui vt ad Æternæ mentis arbitria sese inflectunt, ita euentorum causas altiores habent iis quæ cernuntur, & sparguntur vulgò. Vti Secula & Homines, ita ortas ex vtrinq; familias interire, fatale est. Habet in promptu mærens Patria, qui, cum illustre à Maioribus genus non accepisset tantùm, sed & fecissent, hodie in solis Annalibus, prosapiæ vitam habent. Et fortasse non incõmodè (si Tacito assentimur) Rebus mortalium cõsuluit natura, vt sua ora fluminibꝰ, suos & cursus, vtq; originem ita fines daret. *Vivit attamen, viuetq; factorum meliùs quàm fastorum memoriâ SAMVEL suo immortuus* OLGERDO. *Quanquam quid exhaustam querimur* KORECIANI *venam Sanguinis, in superstiti Fortunæ Herede; ad quem paternis maternisq; auctum splendoribus, Martiales* KORECIORVM *virtutes & insi-*

 gnia iu-

gnia, iure hereditario transierunt. Formidabile hoc Turcis nomen, quod in Te ad vtriusq; SAMVELIS, hoc est, ad Aui & Auunculi gloriam adolescit cum annis. Magni SAMVELIS Heroicâ planè Filiâ prognatus, quidni Martiales viri spiritus in Te transfusos cogitemus. Equidem in Vos, Illustrissimi Domini, magnis retrò subnixos Maioribus, hæc tam subita principalis fastigii incubuit ruina. Vos velut supremas labantis Ilii reliquias, aspectabili gentis Lesczinıæ Palatio excepistis, Ducalibus auorum Statuis & imaginibus, Vestra inter Vestrorumq; decora collocatis. Nobis, qui è vicinia Piis Manibus benè precaturi accurrimus, hoc in funere postremis, si non emortualis straguli lacinias manu sustinere, at licebit, saltem inter Vmbras magni corporis sequaces hîc censeri.

DEO

ET MEMORIÆ POSTHVMÆ

SAMVEL CAROLVS KORECKI
Hoc à Patre, illud à Patruo nomen inditum,
Vtrumque ex dignitate vtriusque gessit.
Primum id prolis Heroicæ elementum est:
Patritia virtutum vocabula reddidisse factis.
HINC
Senatoriam Aui mentem, peritiâ consulendi:
Præliarem Patrui genium, studio armorum:
Ciuilem Patris prudentiam, dexteritate agendi,
Compen-

Compendio in ſe tranſtulit, & abſoluit.
Nimirùm
Excellentis naturæ eſt, rapi in ſimilitudinem ſuorum.
Vitæ Annales, non tam ætatum diſcrimine
Quàm domeſticis carorum funeribus diſtinxit.
Puer admodùm, fatis præreptâ Matre,
Bullam pueritiæ, pullâ veſte afflixit.
Adoleſcens Patre orbatus
Prætextam poſuit paternis cum exuuijs.
Ætate vir: Togam & Sagum
Pacis & belli vſibus quoad licuit, detriuit.
Cyrum diceres à puero iam inde expoſitum aduerſis;
Quaſi præbendus fortunæ fuiſſet,
Vt contra ipſam, ab ipſa duraretur.
Ne tamen orbitatis damna ſentiret,
Parentum locò, altrices Honeſti literas adamauit.
Vel ideò maternis abſtractus à complexibus,
Quò maturiùs Muſarum illicio caperetur.
QVIPPE
Nec ſimplex ætas capi ſolet, quin ſpe aliquid præmorderit.
Quanquam facilè bonis artibus, optimi quiq; ineſcâtur.
E fidiſsima integerrimi Tutoris prouidentia
Egregios doctrinæ morumque nactus eruditores,
Metum & Cupidinem,
Duos iuuentæ ſcopulos impunè transmiſit;
Arcadijs & Theodoſijs hoc laudabilior,

Quòd terrorem non incusserit Arsenio,
* Ducali in Collegio, principem sui partem excolere aggressus,
Ad sublimia operum, cæptis grandibus prolusit;
Vt iam tum digna literis videretur gesturus,
Quòd sic literas deperiret.
Nunquam non propitiam expertus Palladem,
Quiduis ab ingenio impetrabat suo.
SED HEV!
Literario in ludo prima ludentem Olympia,
Obiecto Patris tumulo, mors pedisequa tardauit!
Hæc Terminalia, ludos ei clausêre Prætextatos!
AT ILLE
Quam studia præcipiunt pietatem
Aliàs in cultu & obsequijs,
Hîc in luctu & Exequijs, executus,
PARENTEM PARENTALIBVS complorauit.
Nemini æquiùs immortalem precatus lucem,
Quàm à quo ipse accepisset mortalem;
Nec vlli Iusta iustiùs exsoluit, quàm Iuris vindici
Tribunalitiâ ex vrbe ad Diuinum euocato Tribunal.
Et en consimilem sortis ordinem ac euenta!
Paternum e viuis discessum,
Suâ ad Exteros profectione excepit.
Ita diuersis ambo, viæ vitæq; itineribus, Patriâ excessêre;
Laudatissimæ in longinqua excursionis,
Præter fortunam comitem, & famam prodromam
* Ostrogij, Colle-

Collegas (iure sanguinis) adlegit Principes:
CASIMIRVM & MICHAELEM CZARTORISCIOS,
Stirpe Regiâ, ingenio eminenti germanos;
Libenter illic studiorum stadia decursurus,
Vbi genere, annis, & animis concurrerent Æquales.
Et apposité, Trium Principum ingenijs
Principes in Stiria, Austria, Belgio, Academiæ quæsitæ:
Vt qui iam spe ingenti Patriam implêssent,
Nationum gymnasia sui admiratione erigerent.
Mitioribus primò, dein seueris instructi disciplinis,
Vtrasque Humanitatis in vsu, & officijs expressêre.
Martius alioqui Olgerdi & Vitoldi sanguis
Pacatum doctioris Mineruæ in amorem caluit!
Tullij & Aristotelis eò studiosior,
Quòd Orationem alter, alter excoleret Rationem.
Octo Physicorum libros,
(Quos orbi inuiderat Macedonicus)
Intelligendi possessione suos fecit.
Apud Belgas Philosophatus Princeps, In Coll. Soc IESV.
Peripatetici Principis, acri defensione, Patronum egit.
Ethicæ, Politicæ, Mathematicæ percupidus:
Quòd prima Hominem, altera Ciuem Patriæ,
Tertia Bellatorem imbuat.
Pacis tamen artibus Equestrem libens adiecit,
Vtpote suo EQVITI consectaneam.
Septennio externis immorarus Nationibus

Temporis impendia, experientiæ lucris redemit.
ID PLANE EST
Ætatis florem foris non exterere,
Vt fructum domi legas.
Libertatis prærogatiuam
In licentiæ titulum nè transferret,
Sui ipsius imperio, non Parentum supercilio effecit.
Italiæ vrbanitatẽ, Germaniæ candorẽ, Galliæ comitatẽ,
Ad Lydium moris patrij explorans,
Nil in moribus absonum,
Nil in cultu arrogans admisit;
Vellicante aurem Curtio:
Generosius quidlibet suo nasci in solo.
Trans Alpes EQVITI suo peruias,
Ingens Mediolanum capaci indole impleuit.
Inde in publicum Orbis hospitium diuertens,
Romanam pietatem cum sermonis puritate hausit.
Armorum tractationẽ in Schola Martis Belgici edoctus
Militiæ tirocinia exemplis fortibus terminauit;
Cùm paullò post
Patrui speciem altè animo conceptam
Cruentis ad Zborouiam impressionibus expressisset.
Vnâ illâ Expeditione testatus:
Quid in Patriã amoris, quid animi in Rebelles haberet.
Equo glande plumbeâ traiecto & lapsante,
Propè ad metas vltimi discriminis accesserat,

Nisi confidentiæ suæ causam
In Matre exercituum, reperisset;
Cui sponsalitijs olim subarrhatæ Annulis,
Gladium & Brachiũ votiuâ sponsione dicauerat ad Aras.
Regni ad Tribunalia Deputato persæpè Iudici
Non aliud Sententiæ pretium, quàm rectè iudicâsse.
Nempè, in fastigio Principalis Fortunæ positum
Omni affectione superiorem aut intactum fuisse par erat.
A natura præstanti
Dignum Heroico spiritu domicilium sortitus,
Decorâ proceritate oris ac vultûs maiestatem auxit.
Quo tempore,
Nouo propagandæ gloriæ vsus artificio,
Tot nominibus suorum Ciuium Pater exstitit,
Quot (amoto seruitutis iugo) liberos esse iussit.
Optimè cætera meritus de Repub.
Vni in se querimoniæ locum fecit:
Quòd ruente in se KORECIORVM Domo,
Suæ Posteritatis generi non prospexerit;
Cuius negotium acturus improsperè,
(Præposteris fatorum itineribus)
Non tam ad Nuptias perrexerat, quàm ad Næenias.
Verè inequitat omni gaudio suus Dolor!
EHEV!
Momento variabilem persouatæ Prosperitatis Comœdiam!
Tragœdiam veriùs dixeris

Ad

Ad cereos mortuales actam!
Medeæ geminam, nî extra fabulas gesta esset.
Et hîc videlicet,
Nuptialium ignium festiua lux
In ferales abiuit lychnos:
Thalamus Tumulo commutatus!
Ita, Connubialis Fidei rata primùm fœdera
Tristi diuortio, festinata mors rescindens,
Maritali è tæda rogum accendit sepulchralem!
Non facilè crederent Posteri,
Trium non nisi Parcarum ministerio
Abrupta in vno tot Heroûm stamina;
Nisi auxiliares plurium operæ accessissent.
Nihil attamen molita est sæua Atropos,
KORECIANO EQVITI laqueis extricato
Expeditior ad immortalitatem cursus patuit.
Facessant vmbræ Stygiæ,
Veris hic assuetus periculis,
Vmbras non persequitur, nec timet.
Hippocentaurum ne credite monstra Tartari, Bellator est:
Liuonicis, Moschouiticis, Theutonicis,
Turcicis, Tartaricis,
Prælijs, victorijs, fœderibus, tā metuendus, quàm mitis.
Quin Tu ei da viam Æternitas
Aliam alibi felicitatis orbitam innituro.

Anno

Anno Currentis Seculi, M. DC. LI.
Vitæ cursum gloriæque, cæpit veriùs quàm exegit.
Inter ludicra Saturnalium hilaria,
Saltatorium cæteris orbem versantibus
Hic ad momenta æternitatis, vel toro fixus, circũegit sese!
TANDEM
Sacro Cinerum die (mortis attende religionem)
Commune spolium naturæ,
Cælo animam vectigalem
Morbis exactoribus redhibuit.
Enimuerò & his Defuncti Cineribus
Magnorum capitum vertices salubriter adspersi sunt.
Hîc demùm
SAMVEL CAROLVS KORECKI
Per Regia Iagellonicæ propinquitatis confinia
Deriuati ab OLGERDO sanguinis riuos clausit.
ELATÆ SECVM FAMILIÆ
SVMMVM FVNVS!
Age si sapis, ô Hospes:
E fatali, Magnorum siderum occasu,
Et tuam ipse vesperam ominare.

ROSA HYBERNA

In Diuo Martyre

STANISLAO,

Antistite Cracouiensi, & Poloniæ Tutelari efflorescens.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO à SKARSZEW, SKARSZEWSKI, Castellano Woynicensi, Samboriensi & Drohobicensi Gubernatori,

Mæcenati suo fauentissimo.

Religiosi Xenij nomine oblata ab Auctore.

Rara placent. Primis sic maior gratia pomis.
HYBERNÆ *pretium sic meruêre* ROSÆ. *Martial. l. 4. epigr. 22.*

IN GENTILITIVM INSIGNE EIVSDEM.

S. C. G.



S. W. S.

I.

Nunc vacuus frugum est, quia dando seminat. olim
Messis erit: frugum plenus Aceruus erit.

II.

Condere debet opes: hic opes exprompsit Aceruus.
Scilicet, vt promat, condit Aceruus opes.

Ad

ILLVSTRISSIMI DOMINI D. STANISLAI à SKARSZEW, SKARSZEWSKI, Castellani Woynicensis. PANEGYRIS ALLEGORICA.


Lorescentem exhiberi hyemem si cuiquam videri possit nouum atq; insolens, Tibi minimè novum, qui ad lucem eximiæ, quâ polles eruditionis, iam antea videris, simul rigentem, simul ridentem floribus brumam, sæpissimè Romanis olim fuisse in delicijs. Eo enim loco mensarum voluptas fuit, vt pretia lautitiarum, minora duceret Romanâ dignitate, nisi conuiuiorum exquisitos apparatus, quæsitis peregrè, alieni temporis floribus coronaret, & palati ac cænarum illecebras, videndi atq; odorandi illecebris augeret, inuersoq; temporum ac rerum ordine, æstates hyemare, hyemes vernare, æquè importunè, ac iucundè cogeret humani luxûs ingenium, legumq; naturæ impatiens opulentia Romana. Mihi verò meæ in Te obseruantiæ Tibi tot nominibus debitæ causa est, vt noui ac florentis anni auspicio, votoq; feram ad Te florentem, & Rosis purpurascentem hyemem, quæ vt semel parientis Virginis, Deiq; vagientis prodigia conspexit & ipsa subitò ad fecundam prodigiorum indolem, asperitatis oblita & algoris, in florem roseum, an igneum? exarsit. Neq; illa ampliùs admiranda inter ostenta numerat, alienissimo tempore efflorescere vineas Engaddi, exorto in terra Vir-

gine, fragrantissimo CAMPI FLORE. Neque ego alio certiùs, quàm florentis brumæ argumento testari possim viuam in me, ac florentem vernare Tui, Tuorumque erga me meritorum, ac beneficiorum memoriam, quam Tu lætissima benignitatis Tuæ aurâ recreare solitus, effecisti, ne hyberno etiam in Sole obrigescat. Illa est, quæ Fauonijs Tuæ gratiæ animata, etiam inter hyemis rigores incalescit in flores, quasque è terra elicere non possit Rosas, vel è cælo deuocat, aut culturæ suæ operâ, partuque animi tum producit in lucem, cùm Flos è radice Iessæa in terris ortus, hyemē rigentissimam animorum potiùs quàm terrarum, æterno mutaturus vere, spem ac desideria seculorum recreauit. Quæ cælestibus tam diu rosariis efflorescit Rosa, cùm Tibi nouis pictam coloribus domi Tuæ exhibet, eò dulciùs spectandam, quòd, vt cœlestis sit, etiam Tua sit. Tuum loquor STANISLAVM, quem non eò duntaxat nomine Tuum habes, quòd prisca Illustrium Parentum pietas, vt æternum daret Tutelarem, cognominem Tibi fecerit: sed etiam impensiùs, quòd Tu clientelæ Tui Præstitem fidissimum & sponte adlegeris, & venereris semper religiosissimâ voluntate. ROSA est Illustri Maiorum primùm, demùm suo sanguine purpurata ad aras, quum publico vitiorum dedecore, nolens erubescere servus idem libidinum, ac gentium regnator, non tàm terris demessuit, quàm cælo transtulit, sibi imprimis amicum ad aras, tot vulneribus rubescentem! Non dedignaberis aditu, conspectuque florem, quem perenni cultu, ac studio, Tuâ inquam religione velis,

quàm

quàm cultissimum, atq́ ornatissimum. Admittes, quem complecteris pietate, atq́ ad Te festinanti promptam voles, obviamq́ Tuam illam indulgentiam, Diuis æquè ac mortalibus cognitam, spectatamq́, quâ vt Cælites non admittis tantùm, sed cogis etiam! ea est vis laudatissima Tuæ pietatis: ita miseris, & egentibus apertam semper exhibes, & paratam! Nam, quem alium egestatis alienæ sitis fontem, aut fames agrum peruium magis & apertum habet? Inuitas ad vsum beneficentiæ Tuæ, cùm Te nulli indigentiæ inaccessum reddis eò subleuandæ promptior, quò facundiùs apud Te & ipsa pro se perorat. Cœlestem calamitati alienæ, domi Tuæ fortunam facis, dum abstergis omnem lachrymã, *quæ lugubri liberalitate profusè impenditur infelicitati. Antiqua nomina Mæcenatum nostro seculo reddere videris, adeoq́ nouum restituere Titum nolentem dies perdere, quos tu non tam momentis, quàm beneficijs distinguere solitus, nouam plerisq́ cum Sole oriri fortunam, occidere calamitatem iubes. Et quanquam, in Solis morem, communem facis omnibus benignitatis Tuæ lucem: præcipuum tamen illius vsum semper esse voluisti Religiosis familijs, quæ Tuæ beneficentiæ impendijs obæratæ, cælestibus tabulis certam Tibi nominum cautionem inscribunt. Tu cùm facias Tibi creditores, ita auges in alijs debita, vt simul aboleas; quòd beneficia beneficijs cumules; veluti priora è vestigio succedentibus deleturus. Atque vt prætercam alia, quæ Tu in egentium animis, ac cœlo moliris munificentiæ Tuæ monumenta; quantum est Sam-*

boria theatrum benignitatis Tuæ! videri & ipsa possit felix; vt olim Arabia, quia vicina Soli: quòd illi vicinus affulgeas. Transiit illa iam, in amplissimum Tuæ opulentiæ campum, in quem se vberiùs beneficentiæ alueis effundit, quàm Nilus in Ægyptum, aut fœcundæ nubes imbrium in arentes agros. Cœtus militantium sub virtutum signis, auctorati, Sacramento Christianæ paupertatis, quantùm se angustijs professæ egestatis coarctant, tantùm Tu, ne angustijs premantur, patētissimâ liberalitate occurris. Adeò virtute præstas, quod gentilitio magni Sanguinis insigni exhibes, vt horreum aditu peruium, Aceruumq́ frugum nulli inaccessum, promere subleuandæ calamitati alienæ, quàm propriæ vtilitati condere promptior videaris. Hoc Tibi ornamentum & illustre à Maioribus genus, & amica virtuti Tuæ fortuna consignauit, quod nō inane feres: feres ideo, quòd talis esses, qualem Te & vsu agnoscimus, & in gentilitij Sanguinis eximio schemate, velut propriâ formâ, figurâq́ expressum legimus. Alijs illud fuerit auitarum laudum vacua ostentationis causa, Tu promptitudine largitionis, supra tot illustria aliarum laudum decora, illud meruisses, nisi reperisses domi, quod propriâ refingeres imitatione. In Te Tuæq́ admissionis facilitate video, quod Tuo in Aceruo lego; quem nullo clausum sepimento spectantium offers oculis, quòd & Tu difficultate aditûs & gratiæ, sepiri Tuæ affluentiā fortunæ nolis, peruius calamitati alienæ, miserentis ac donantis animi affectu, quem perinde atq́ horrea aperta egentibus patere sem-

per

peruoluisti. In ipsis salium fodinis quam Tu aliam profundiùs rimaris fortunam, quam quæ in vberrimam excrescat beneficentiæ sementem? ut non aliam in Te sal ille accendat sitim, quàm benè de omnibus merendi, nec plus commodi ex illo naturæ scaturientis puteo velis educere, quàm facilem Christianæ liberalitatis fontem. Dat ille Tibi felice prouentu, vnde aliorum vel aduersam fortunam temperare inspersis largè salibus, vel lacrymas condire possis; in hoc vltra morem liberalium Munifico, quòd quibus nec aquam gratis dedisset Antigonus, Tu salem æquè ac panem liberaliter elargiris. His exporrecti in dona animi, & animo respondentis dexteræ argumentis, an non facilè in Tua tecta suo purpuratum sanguine STANISLAVM *traxisses? An illa non implêsset magnus ille Hospes, in cuius non modò nomen, sed ingenium, virtutemq́ transieris? dum vt ille ab inopia alios, alios ab iniuria vindicabat, Tu non solùm nominis sed etiam virtutis heres, eadem in Te decora, verissimâ similitudine transtulisti. Hic Tibi aditus primarum laudum, hæc iustissima ratio consequendæ gloriæ, cuius Tu possessionem eò certiorem adiisti, quòd suffragiis omnium, Viri optimi ac integerrimi nomen consecutus, (elogium maius omni Oratorum assentatione, & Historicorum gratiâ) regio insuper oraculo talis dici, & haberi merueris. Quid de Te* VLADISLAVS *antea, quid nunc* IOANNES CASIMIRVS *Inuictissimi Reges Poloniæ senserint, sentiantque, quàm altè in pectus vtriusq́ descenderis, ille*

ignouerit

ignorauerit, cui VLADISLAVS, atque ipse CASIMIRVS tanta nomina! ignoti sint. Illæ Te non tam aulæ, quàm animo admotum, nunquam à se abesse voluit, ac ne abesse posses, deuinctum tenuit singulari beneuolentiæ regiæ complexu: aut si Te grauiora Principis, ac Reipublicæ negotia abesse cogerent, ita tantùm abesses, vt Principem in Te ferres; adeò ne tunc quidem absens, cùm abesses, Principis personam Principis Orator ferres. Nam pro Rege VLADISLAO & Ferdinandum III. Romanum Imperatorem, & Transyluaniæ Principem adijsti, vtrobique negotio publico perfunctus magno gloriæ prouentu, quem inde eò vberiorem collegisti, quòd iustissimis plurium de Te, Tuâque dignitate Principum sententijs collegeris. Auxit in animis omnium æstimationem Tui VLADISLAVS, cùm Te geminâ ornatum præfecturâ magnis deinde Reipubl. munijs destinaret, admoturus omnino, nisi mors immatura reliquisset alteri officia paratissimæ voluntatis. Neque alium nactus es in Regio CASIMIRI affectu locum, quàm quem cognosceres à Fratre relictum Fratri Serenissimo, ideo etiam heredi, quòd pariter cum Sceptro, beneuolentiæ ergá Te Regiæ successionem adierit. Creuit illa in segetem beneficentiæ, cùm nouâ iterum auctus Præfecturâ, ac Drohobiciæ impositus Gubernator; insuper Samboriam, totamque eius, quæ amplissima est, ditionem regendam, & administrandam Regiæ voluntatis arbitrio suscepisti. Neque admirationi Te Principibus cordi esse, vt mirum videretur, nisi esses. Tantùm Tua meretur dignitas, ac vir-

tus, vt beneuolentiam omnium sui pretio non tam Tibi colligat, quàm cogat. Nam cui non imperat eximium amorem Tui, illa tum ex consuetudine aulæ diuturna, tum ex indole ac ingenio, ad politioris seculi venustatem nata, factaq; vrbanitas? illa constans, & grauis, atq; inter maximas rerum, ac negotiorum veluti tempestates, quæ Te vndiq; ambiunt, comitas inconcussa: illa eloquentiæ ciuilis ad extemporalem dicendi vsum prompta, parataq; facilitas ac felicitas: illa elegantia leporum, ac modestiæ legibus temperata orationis gratia, Atticis leporibus præhabenda: illa nullo inani vacuæ ostentationis obtenta fuco, ditissimæ eruditionis affluentia, scientiarum apparatu collecta: illa potissimùm Christianæ probitatis, & ciuilis elegantiæ suâ raritate carior societas. Ita enim eximium Te Ciuem præstas, vt ne minor sis Christianæ pietatis laude; nisi quòd potiorē hanc Tibi esse velis, quæ cultum ciuilis vitæ ad æternitatis rationes componat. Ita omnem erudiisti ætatem, vt cùm scientiarum opes domi forisq; colligeres, virtutis obsequio mancipares curas, & hanc artem impensè disceres, vt discendi videndiq; studia, posses in curriculo publicæ ac priuatæ vitæ, exigere ad normam certissimam virtutis. Cùm ad omnium consuetudinem ac vsum ita Te exhibeas varium, vt ad legum aulicarum leges familiaribus aulæ factus, ijs, quibus affluit argutæ facundiæ suauitas, argutissimus, inter doctos, atq; eruditos videaris par vtrisq;: Tu nihilominùs Tui semper nō absimilis, atq; is videris, quem vna, eademq; virtus eundem vbiq; præstat, eoq;

maiorem facit, quòd nexu admirabili complecti didiceris Christianæ, ac ciuilis vitæ commendationem. Impegêre, nonnulli in scopulos probitatis, cùm lustrarent Orbem, ac veluti in vada, ac syrtes abrepti, non aliam peregrè fortunam retulére, quàm quæ infelices faceret. Adeò mercium animi inanes in Patriam reduces, vt domestico otio melioribus fatis marcuissent: Tu cultissimas terrarum Prouincias non alio fructu, euentuq; adijsti, quàm vt cultissimus in Patriam, omniumq́; complexum postliminio redires. Quòd eos Tibi deuinctos habeas, quos politioris literaturæ dignitas commendat. Tua illa literatura, eximio eruditionis instructa apparatu facit, quæ cum ipsâ similitudine amorem in Te literatorum trahat, rarâ sui excellentiâ obseruantiam excitat, pariq́; admirationem. Quæ Tibi cum Musis ac literis eadem consuetudo cum literatis intercedit, quorum obseruantiâ singulari eò ipse maiorem colligis Tui venerationem, quò literatior ipse, etiam literatissimis appares. Quàm se Tibi olim Sarbieuius, quàm Tu familiarem Te illi esse voluisti? quòd scilicet seipsum alter in altero amaret, dum, seu ingenij, seu doctrinæ cultioris similitudine aut luderetur in altero, aut alteri alter colluderet. Et quanquam fatorum inuidia Virum illum sæculis dignissimum, Tuis ereptum oculis subduxit: subducere equidem nunquam possit animo, constanti beneuolentiâ memoriam illius perennem apud Te animante. At neque oculis abductum omnino Tuis dicam Sarbieuium, quòd eum adhuc intueri, adhuc videaris alloqui & audire, dum

suauissi-

suauissimam illius Musam sæpissimè regustas ac relegis, eo sensu animi, vt viuere Tecum ille, in te equidem censeri possit, quòd eundem inspiret Tibi, quem magnus ille animus spiritum suis monumentis infudit. Ac ne in ipso tantùm Sarbieuio suis laboribus expresso Sarbieuium spectares; quæ ille à cælestium rerum vsu dulcissima imprimis habuit, Horatij inquam, ac Senecæ opera, Tua esse voluit moriturus, eo supremi muneris argumento testatus, carissimum fuisse sibi, cui traderet è religiosæ paupertatis penu, quæ omnibus mortaliũ fortunis præhabebat. Atq; hic tuus in literatos amor familiarius ad Te facilè aduocat literatos, vt nullũ libentiùs limẽ adeant, quàm Tuũ, hîc læti, hîc securi suũ apud Te literas pretium habituras. Hîc, si vsquã alibi, ingenia in tantũ recalescãt, vt vel iacentia erigi, vel languentia excitari possint. Mihi certè, vt præteream alios, ex diuturno cum ægritudine luctanti, velut spiritum indidisse, vitamq; videris afflauisse, vt Latinam, si Musis placet, ad lyram, diuos magni Præsulis STANISLAI *Manes, carmine (quod vatibus ceu quoddam Magiæ genus est) euocare, sacrosq; quodammodo cineres animare attentauerim, & solenniore paulò chlamyde conuestire. Atq; vtinam ea carminis maiestas, & gratia hîc mihi obtigisset, quam vel Tu sperare visus es, vel tanta Cælitis amplitudo virtusq; postulauit: sed vtrumq; æquare velle, nescio an non arrogantis, ac sibi pluſculum tribuentis foret ingenii, vltra vires etiam (quæ scio quàm sint mediocres) enitentis. Non ita tamen omnia, in perexiguo*

munere aspernaberis Mæcenatum Optime, vt vel vnicum tuis obsequendi votis conatum non approbes, ne dicam scriptionis argumentum. Equidem genus carminis, non aliud præelegi, quàm quod ipsemet imperâsse visus es, dum elegeras; quùm peruetustam illam de Beatissimo Poloniarum Tutelari Stanislao Oden, ad seueriores Lyricorum numeros, paraphrasticâ vtiq; parodiâ conformaui. Certè vt non nemini, minùs fortassis prospero Apolline carmen istud fecisse videar,: Tibi attamen, vti pro ANTONIO *metris à me, Aris à Te donato Samboria; ita pro* STANISLAO, *ad Romanam decantato lyram, Cracouia debebit non nihil; vt qui Tuo consilio, Tuo ductu, Tuo ipsius ære, plectra alioqui iam desueta, sonoro Tuæ humanitatis classico excitaueris. Vale Vir à virtute, prosapiæq; excellentiâ Perillustris, & Rosam Missilem sed & Mittentem, longo à T. disiunctum spatio, præsentem officio, vel in distans agente patrocinio prosequere.*

PARODIA

AD ODEN POPVLAREM,

Gaude Mater Polonia. &c.

NE sola fortes progeneret viros
Lacæna, felix prole Polonia
Contendit, & Spartæ maritas
Anteuenit meliore partu;

Gaude Mater Polonia

Prole fecunda nobilis

Natale

Natale cuiùs robur, & ardua
Septemtrionis durat in algido
Caletque virtus, bellicorum
Feta operum, solidique Martis.
Assurge toto Lechia vertice
Lætis remiscens gaudia plausibus,
Regumque Supremi, frequenta
Peruigili statione laudes
Laudumq; causas: Quo duce Pontifex
Mercatus alto sanguine lauream,
Latè STANISLAVS per orbem
Explicuit noua signa Victor.
Hic Fas: & Æqui castra, fidelibus
Tutatus armis Iustitiæ pugil,
Vindex Honesti, fulminantem
Impauido subit ore Regem
Mox parricidam. Quò raperis, tui
Oblite Sceptri? nec decorum memor,
Quò te, per abruptum pudoris
Deuia præcipitat libido?
Quæ monstra culpæ? quæ priùs execrer
Lasciuientis crimina Regiæ,
Cænasque, subductasq; stratis
Teste polo, populoque Nuptas
(Non fabulosæ more Proserpinæ?)
Quid secta diro pectora vulnere
Lamenter? admotosque Matrum
(Pro dolor!) vberibus catellos:
An decolores cæde Quiritium
Querar Secures? aut Procerum Nurus
Impunè raptas, Ciuiumne
Funera, flagitijque pompas?

Summi Regis magnalia

Laude frequenta vigilij Cuius benignâ gratiâ Stanislai Pontificis Passionis insignia Signis fulgent mirificis

Hic certans pro Iustitia

Regis non cedit furiæ,

Stat pro plebis iniuria Christi miles in acie,

Calcata ſpretis Relligio Sacris,
Conuulſa caſti tædera connubî;
Regina Libertas, agreſti
Preſſa iugo, ſua iura plangit.
Nuper ſubactæ Gloria Roxiæ,
Nunc impudici præda Cupidinis,
Nec tela declinans, nec arcum,
Duceris in ſcelerum triumpho!

Kiiouiam Ruſſia propugnaculum ſubegit Boleſl. Audax

Tamennè turpi mollis in otio,
Iniurioſis merſus amoribus,
Palmaſquè lauroſque, & Poloni
Dedecoras Clypeum Gradiui?
Fruſtra profundis conſcia noctibus
Secretioris tecta licentiæ
Irrumpis, occultaſque labem;

Paranetica Staniſlai ad Boleſlaum Oratio,

„ Per latebras, per opaca Lunæ
„ Spectatur intrò Regificum nefas:
„ Claris Olympi ſolibus, haud minùs
„ Latere, quàm contingit Orbis
„ Principibus. Patet illud omni
„ Conclaue mundo. Scilicet abditæ
„ Quæſita noxæ tegmina, purpuræ
„ Lux ipſa prodit. Altus imò
„ Exſtat & in puteo Coloſſus.
„ Peruadit arces Rumor, & intimos
„ Intrat receſſus. Hinc, tacitum modò
„ Fit fama crimen: ſerpit atrox
„ Fabula per popnlare limen.
„ Illuſtre regnum, vitaque Principis
„ Cenſura morum eſt. Aſtra regat licet
„ Cum ſole Princeps, ius latendi
„ Solibus & Solijs negatum.

Sic

Sic Præsul iræ lenior, attonat
(Qualis furentem Theseus Herculem)
Flectique nolentem proteruè,
Imperijs monituque frangit.
At ille, moto sæuior Adriâ, — *Irrita Diui peroratio apud iratum Principem*
Iam probra verbis, iam precibus minas,
Suadæque Terrorem reponens
Igne micat, velut icta serpens,
Deliberatum liuida conuocat
In colla virus. Tunc etiam sacro
Hortantis, immersurus altè
Vulnificum capiti mucronem
Tyrannus exlex: nî semel impius
Nollet videri. Distulit hactenus
Iras ad aram, mox daturus
Heu! tragicæ feritatis actus
Avdace dignos! Iamque dedit; prior — *Boleslaus, cognomento Audax,*
Anteoccupato vulnere Præsulis,
Dum Numen arcano precatu
Sub modicam facit ire frugem.
Ter arma iussus ferre, ter irritos — *Ex fide Histor: Polonicæ*
Referre gressus miles, inutilem
Damnauit ausum. Cæca mersit
Nox oculos, adytisque Templi
Repulsa vis vi! quà Michael sacrâ
Se Rupe tollens, turrigeram Craci
Adspectat arcem, cui † Vauellus
Supposuit sua colla vertex. — *Mons in quo arx Cracouia sita.*

Regis Boleslai eiusq́; Satellitum, atrox & barbarum facinus, in Diui Martyris Corpore minutatim conciso disiectoq́; inauditâ immanitate perpetratum.

HYPOTYPOSIS LYRICA

Ex Annalium Polonicorum fastis deprompta.

TVM Rex inulti pectoris impotens,
Infecta rerum segnibus exprobrans
Aulæ ministris, cordis excors
Sacrilego violentus ense
Vittata Mystæ tempora diuidit
De Rege sector! Principis ilicet
Exempla certatim secutus
Continuat malè cœpta peior
Ad iussa Miles. Tunc sceleri scelus
Consensit. Vnum Tot Furijs caput
Patescit in cœdes! & inter
Tot gladios perit vna cœlo
Dilecta Ceruix! moris Achaici
Discerpta ritu victima: cui sacer,
Per damna, per mortes, ab ipso
Creuit honos pretiumque ferro.
Ehêu dolendum! præda fit aulicis
Pastor Molossis! Degeneres lupi,
Feræque de vulgo minores
Exanimum lacerant Leonem!
Pars ora stricto figit acinace,
Pars indecoro verbere liuidos
Detruncat artus: ille dextram,
Hic iugulum ferit; hic lacertos
Connisus iræ viribus amputat
Vltrice sicâ. Traijcit hic latus,
Imasque rimatus medullas,
In medijs ferus augur extis

Tyranni truculentiam Qui dum constanter arguit

Martyr.j victoriam; Membratim cæsus meruit.

(Inomi-

(Inominatâ ſcilicet alite)
Portenta diri quæritat exitûs;
Ipſaſque ſcrutatore ferro
Relliquias animæ perurget!
Hiant recluſi pectoris abdita,
Spirat calenti morte fluens iecur,
Exſecta natiuis rigeſcit
Lingua fibris, & adhuc perorat
Non indiſcito muta ſilentio!
Notâque Regem voce redarguens
(Ceu nube fatali tonitru)
Sic etiam metuenda terret!
Squalent reciſis lumina palpebris,
Nec tam illa, lethi ſumma Neceſsitas
Quàm clauſit inſolentis horror
Luxuriæ, vetitique raptus,
Et execrandæ ſcena Tragœdiæ!
Perfoſſa cordis regia, nobile
Auguſtal & Sedes Amoris
Concutitur chalybum tumultu!
An & Tiaris emeritum Caput,
Arx illa magnæ Mentis & intimum
Conclaue, ſanctioris otî
Cuſpidibus, capuliſq; tunſum
Sicariorum panditur ictibus?
Bis terué tinctâ ſanguine purpurâ,
Debere ne poſſet colorem
Sidonio Tyrioué fuco.
Sed quid ſceleſtæ turba ferociæ,
Quid Rex atroci concolor Atreo,
Quid lictor, & lymphata pubes,
Aut comites furialis œſtri

Simile D. Ambr. de Ioan. Bapt. & Herode.

Inermne contra Pontificis Pedum
Fascesque possent? Sparsa per inuios
Quanquam platearum recessus
Membra iacent, & egena busti
Cœlo teguntur; sed Iouis Alites
Non vsitato funeris ambitu,
Et lege, Sacrorum Parenti
Tristibus excubijs parentant!
Lugente Craco, congeminantibus
Alterna ripis. Fit gemitus: Patrem
Quà voce, quà planctu requirunt;
Dum caua per, per acuta † Rupis
Disiecta passim frusta legunt, sacris
Aptantque frustis. Nec mora, cùm suæ
Et dextra respondit sinistræ,
Pesque pedi, capitique ceruix
Accommodatis reddita nexibus!
Collecta sparsis cæsaries comis,
Frontique maiestas reducta, &
Mite supercilio serenum!
Arguta rursùm lux oculis redit!
Certare credas labra Corallijs;
Et pallor, & frigus genarum
Pleno animæ caluêre succo!
Redintegrati sic noua Corporis
Compago neruis constitit; extimâ
Vibice plagarum rubescens,
Schema trucis breue parricidî
Seris dolendum schema Nepotibus!
Hæc inter: absens proditur indice
Pollex lucernâ, quem propinquo
Piscis edax tumulârat amni. Occul-

Sacri Corporis custodes Aquilæ.

Locus patrata cadis Rupella vulgò dictus

Nouum pandit miraculum Splendor in Sancto cælicus.

Occulta quantùm vis medicæ manûs
Et Fata possint! Prodigialibus
Constare momentis necesse est
Quæ Superûm labor, architecto
Molitur intus Numine! Qui modò
Truncum cadauer delituit solo,
(Grassante membratim Furore)
Tot necibus lacer, immò nullus,
Repentè plenis cernitur artubus
Suo superstes viuere funeri;
Visus redordiri subinde
Fila suæ malè rapta vitæ.
Sic vsta multo sole Rosaria,
Sic lassa nimbis colla papauerum,
Sic Ales Eöis reuixit
E cinerum renouata bustis.

Redintegrat corpusculum Sparsum, cælestis medicus.

Pompa Funebris, apparitissimæ Humationis, ac potius Triumphi, quo solenni ritu, sacræ eiusdem exuuiæ in primariũ Vrbis & Arcis Cracouiæ Templum translatæ sunt,

AT verò mæstam Fama perambulans
Exciuit vrbem. Visitur vndique
Inter cicatricum recentes
Ille notas, gregis ille Ductor
Vindexque Pastor, dira frementium
Sæuis luporum immortuus vnguibus;
Æterna SCZEPANOVIANÆ
Morte locans monumenta Laudis!

Gentilitia familia.

 Adest

Adeſt reclini poplite Ciuitas,
Ac immerentis multa ſuper nece,
Et multa (nequidquam timendi)
Queſta ſuper ſolio Tyranni,
Toro repoſti Corporis inclytam
Affatur vmbram ſupplice de genu;
Crudele deteſtata littus
Et memori lita cæde ſaxa:
Quæcunque mæſtis Cracigenæ ſonis
Dixêre coram, mox vice lugubri,
Ferale reſpondêre cautes,
Et queruli gemuêre fluctus!
Impendioſi non ego funeris
Cantu Latinæ tranſierim lyræ
Pompam, tryumphaleſq; flammas
Et Phrygio variata textu
Aulæa: vel quæ Solibus æmula
Conchyliati ſerica muricis
Fulgore certant; grande Diuis
Manibus, Exuuijſq; tegmen!
Quidquid beati veris odoribus
Inhalat Orbi Pæſtus amænior;
Quidquid venuſtatum recondit
Flora, dedit: Tumuloque plenos
Florum quaſillos floribus aggerans,
Inſperſit albis Lilia cum Roſis,
Miſtoſque Narciſſis acanthos,
Et violas, viridemque Maium.
Nec terra ſuccos, aut opobalſama
Functi ſupremis inuidet vſibus,
Nardoſque, lachrymaſque Myrrhæ, &
Thura Arabum, Cilicumque meſſes.

Perun-

Peruncta Medis vrna liquoribus,
Fragrante venâ per populos fluit.
Grato Sabæorum vapore
Fumat iter, via vernat herbis,
Rident plateæ, cantibus assonant
Delubra lætis non sine compitis,
Errante vicatim Thaliâ
Et socios acuente plausus.
Inauguratis proxima cætibus,
Vndantis ibat turba frequentiæ,
Festisqne gratulata circùm
Atria perstrepuere plectris;
Respondet omnis carmine porticus,
Crebrisque ceræ virginis ignibus
Theatra collucent, & auctam
Luce diem geminare gaudent.
Iam tunc abaltâ turre tonantibus
Expergefactus Vistula machinis,
Transmisit ad Balthim, per vndas
Præsulei sonitum Triumphi.
Absterſa demùm Relligio genas,
Nil triste vultu, nil animis gerens,
Hinc inde se stipante, maior
Ingreditur Procerum Senatu
Discriminati murice pallij
Latè coruscans! Posthumus interim
Submittit & moles, & arcus
Et Cathedras, Honor, & Trophæa
Æquanda priscis Pyramidum iugis.
Virtus Colossis attamen altior,
Non mole turritâ, aut columnis
Nititur: ipsa sibi Trophæum.

Sic restituto Præsule, redditur
Antistes Aris: Pastor Ouilibus,
Tutorq; Sponsæ, quam subarrhat
Casta Fides, vigilesqué curæ.

Prodigia ad Diui STANISLAI *Mausoleum ope eiusdem Tutelaris edita.*

QVisquis patronos illiùs, aut prece
Votisué Manes conciliat Cliens
Auditur, & certo Salutis
Instituit sua vela cursu.
Plerosqué Fati sors violentior
Ad terminales impulerat viæ
Vitæqué currentis columnas;
Quùm subitò melior regressu
Fortuna DIVI, protulit aureæ
Et plus & vltra lucis Olympia.
Mox parca dispensans Sororum
Pensa Trium, tenuesqué lanas,
Diduxit aucto stamina vellere,
Complens trecentis Lustra decempedis:
Ausus relaxare, & citâtos
Terrigenûm cohibere soles,
Horas, & annos tendere lætior
Mortalis ævi; pestifero licet
Latona circumuecta curru
Terreat obsidione vicos,
Polycrateum Fama quid Annulum
Pyrrhique gemmam proferat? artifex
Natura cui miro paratu
Viva sui simulacra vultûs

Soscentes eius merita Salutis dona referunt

Morte Præuenti subitâ Ad vitæ protum redeunt portum.

Pausanias

Re-

Rerumqué formas, & decus indidit;
Queîs eruditâ inſcripſit imagine
Phœbum, relucentesq; Muſas;
Prata, lacus, nemorumq; ſyluas.
Æternitatis Sponſor & æmulus,
STANESILAI plus capit Annulus,
Plus gemma, votiuis Clientûm
Sculpta notis, tabulisq; vitæ;
Tangi ſalubris: nam ſimul oſculis
Libare fas eſt depoſitum, ſimul
Tabeſqué, pallenteſqué curæ, &
Putris hydrops, & anhela tuſſis,
Et æſtuantûm examina Febrium,
Trans vſqué Thulen lethiferis meant
Aucta nimbis. Cedit omnis
Acta retro ſeries malorum.
Inducta ſiccis alma Ceres agris,
Solumqué vertit dira lues; Fame,
Longâqué morborum catervâ
Ad Gethicos remigrante fines.
Quicunque captus luminibus, diem
Solemque ploras, quin oculi cauos
Huc tendis orbes, quá ſereno
Indigetis micat igne Buſtum.
Hîc & ſoluti vecte repaguli
Erepta mutis redditur, aut datur
Fandi poteſtas, Creber aurem
Hîc repetit, reperitué ſurdus,
Claudusque greſsûs officium. Tui
Tremende victor, vis Acherontica
Offendit ad marmor Sepulchri,
Et poſito cecidêre faſtu

Cuius ad tactum Annuli.

Morbi fugantur turgidi.

Ad locum Sancti tumuli.
Multi curantur langui-di.
Cæci viſum recipiun.

Mutorum linguæ ſolui-tur.
Surdis auditus redditur

Claudis greſsûs offi-cium,

Cælo

Cælo rebelles ac Styge Spiritus
Tortoris Orci: cùm malè pertinax
Auernus, indignansq; pelli
Frenderet in vetitum Tyrannis.
O ergo felix iure Cracouia,
Dotata sacri pignore Corporis,
Tenoris: Auctoremque rerum
Non humili fer ad astra cantu,

Et fugatur Dæmoniũ.

Ergo felix Cracouia
Sacro dotata Corpore,
Deum qui fecit omnia.
Benedic omni tempore

Diui STANISLAI interfector Boleslaus Audax, parricidij conscientiâ exagitatus, cùm erraticam obscuramq; perdiu egisset vitam, tristi exitu obijsse fertur.

SIc dum cruento naufragus æquore
Beatioris limina Curiæ
Subit STANISLAVS, Polonæ
Gentis Amor, Columenq; Regni,
Irata sistens Numina, Lechici
Orator Orbis iam propior DEO;
Contra, BOLESLAO fugaces
Ponè sequax Timor addit alas:
Extorris, execrabilis, vltimas
Errat per Vrbes. It Nemesis comes,
Sontemq; propellens flagello
Insequitur scelerum per vmbras.
Quàcunq; gressum corripit, hàc suos
Obiectat angues Tysiphone, Canes
Titanis; Actæon vt alter
In tenues lanietur artus.

Sic Stanislaus Pontifex

Transit ad Cæli Curiã

Vt apud Deum opifex
Nobis imploret veniã

Ex opinione quorund. Historic.

MAR-

MARTINVS LATERNA

E Soc. Iesu Sacerdos, olim pro Fide Orthodoxa Nauali illustris certaminine

Ex caligine Maris Balthici emergens,

Bono in lumine collocatur, Auspice & Munificâ manu

Illustrissimi Domini,

D. STANISLAI à Skarbew, SKARSZEWSKI, Castellani Woynicen. Gubernatoris Samborien. & Drohobicen.


Nouam sibi Tutelaris patrocinij Coloniam, Drohobyciæ molientis, Anno Domini 1661.

ILLVSTRISSIME DOMINE.

Nobile sanè tum ax argumenti materiâ tum ex Tuo in cælestem illum animum studio, adieci appendicem Operis MARTINUM LATERNAM; *ne suum quoq; exili huic lucubrationi deesset lumen; quod non Nostram minùs Societatem illustribus meritorum radijs, quã terram illam Samboriæ finitimam, suis Natalibus; & Heroicâ facti magnitudine illustrauit: At non ita Sol hic (quando splendidiore titulo tantam virtutem etiam aquis superiorem, nec Dei minùs, quàm maris capacem animum appellare nequeo) in Balthicam profunditatem; extra Poetarum fabulas, Solem Oceano mergi commiscentium, præcipitatus est, vt vel ardere desierit, vel lucere. Erraticorum id siderum, ac fatui potissimùm ignis esto dedecus, flammam concipere illico perituram. Atq; hanc ego* HYBERNÆ ROSÆ *Facem addidi (in-*

ter reciproca veterum Missilia ritè numerari solitam) non vt, STANISLAI, *de suo Illustrissimi, lucem, hæc augeat Lucerna, sed vt Tibi hic etiam morem gererem, qui vt in* MARTINO LATERNA *eminentem pectoris excellentiam, demiratus & amplexus es, ita noluisti eam absque Elogio esse: credo ne in viciniam quoquo modo iniurius, aut vicini Drobobycensis oblitus videreve; de maximis & optimis vitæ Ducibus, Tibi iam indè prospecturus. Vale Mæcenas Inclyte, & vt Nobilem illum Naufragum hospitali tabulâ collegisti, ita paucis hisce lineis, manum quâ soles, patronam commoda.*

ELOGIVM.



PATER Martinus Laterna, in Balthico ab Hæreticis demersus, vt placaret iratum suis hostibus Numen, vectigalem animam, maris Domino, in victimam, ritu fortium deuouit. Hoc demum erat: Romano-Catholicæ Religioni, liquidum scribere testimonium, *& sanguine & aquâ!* Lubrico aliàs infidoque elemento, pro fidei asserendæ instrumento vsus, terrâ & mari perfidiam oppugnauit. Sed Veri impatiens hostilitas, ex diuino quem oderat Oratore, illustriorem Tyberino illo natatorem effecit. Nec tamen pœnitendo fatorum exitu. Præcipitatus de naui hostica in altum, profundioris gloriæ eluctatus in portum est! nisi perreptâsse, truncatis dirè manibus dicendus sit? Lucis ac vitæ naufragium libens pertulit, vniûs dispendio, geminam lucraturus. Communi mortalibus lege etsi viueret, communi mortalibus conditione de-

ne dedignatus mori, quæſito peregrè lethi genere eſt perfunctus. Defunctum aut extinctum caue dixeris *Laternam*, illuſtre ſequacibus iter, & ſub fluctibus hodieque præmonſtrat. Ignotam hactenus Argonautis viam, per immenſa famæ ſpatia emenſus, prodromâ ſui nominis pharo illuc appulit, quò auara pectora non impulit auri fames. E Regio Sigiſmundi III. comitatu, heroicâ tolerantiâ laureatus Comes, ſqualorem atratæ chlamydis, oblato diuinitùs commutauit paludamento; dum ex Magnarum mentium vſu, *quidlibet in ſuum trahens colorem*, ſolus in ſuæ tincturam purpuræ laborauit: ſudorem, ſanguinemque immiſcens, quem nobile eliquârat tormentum. Religioſo Principem obſequio ſecutus in Sueciam, dum æquè Deo ac Regi fidus, vtriuſque hoſtem hæreſim, ſacrâ eneruat eloquentiâ, è prætoriâ in fretum truſus, ne tum quidem deſtitit inſectari ſectarios. Diceres, diuiſum illi ſuo cum Principe conſilium nauigandi fuiſſe, ſub diſpare votorum euentu. *Sigiſmundo*: vt hereditarium à Gothis vindicaret regnum. *Laternæ*: vt cruoris impendio mercaretur coronam, Palmarijs *Concertatoribus*, *ex legitimo appenſam.*

At enim latere ſub vndis *Laterna* cùm nequiret, eâ quâ mergi haud potuit ſui parte, è ſalo barbari æquoris, in ſolum patrij littoris emerſit. Non inſulsâ appellatione, nouum Drohobiciæ *Saliſburgum* nactus. Hîc natale magni nominis emporium aperiens, vbi primam genitus

lucem hausit, natiuo *Laternæ* splendore offulsurus orbi terrarum. Factus purpuratæ legionis, non ante candidatus, quàm pretiosæ fuisset competitor necis. Incomparabilis athleta, piraticis luctatus cum gurgitibus, in campo cruentati à se æquoris palmas messuit, cùm manum non mouisset. Et verò, non incommodè naualis è clade Martyrij adeptus lauream, vt Nauali Ciuicam superadderet, patriciæ Ciuitatis defensionem suscepit.

Age sis *Drohobicia*, Tuo Illustris, Tuo beata, suam Dantisco non inuideas *Laternam*. Habes in Ciue Martyrem, in tribuli Tutelarem: à quorum altero decus, ab altero patrocinium sperare, tuo iure poßis.

MARTINI LATERNÆ

Studio & procuratione, instituta Drohobyciæ Ciuica Sodalitas, sub titulo* Sacratissimi Corporis Domini nostri, *quam in rem exstat authentica eiusdem ad Magistratum Drohobycensem Epistola, quæ sacri instar depositi ibidē perhonorificè asseruatur.

MARTINO LATERNÆ

SVam post fata remeanti in Patriam, Tuo vel Ciui, vel Heroi occurre Drohobycia. Olim, salis tantùm, nunc & panis Ciuitas, panem & salem (more veterum) proferens, vtroque magnum Hospitem dignare honorario. Hospitalem quidni mensam instruas? cùm sic abundes *Cæli Pane*. Appone, ipsis Bonæ Gratiæ manibus laboratas

tas dapes, quarum tibi & pretium ipſemet & famem fecit. Adeſte fortunati Incolæ, quotquot hîc Euchariſtici nexu fæderis, Sodalis mentium Pietas colligauit, illigandos quondam *Faſciculo viuentium*, qui ſic colitis *Frumentum Electorum*, citò, ad agenda quæque fortia, *Cibo Fortium* profecturi. Agite ſi Viri eſtis, anteſignano prælliaris Martini ductu, ſub Manipulo frugis cælicæ, æternitatis commeatum parate Commilitiones, nullâ melius pugnaturi ſub vmbrâ, aut victuri.

Inimicam vrbibus ne timete famem, quia æternæ militatis annonæ *Sub Signo Panis.*


Nemo non huic nomen dederit militiæ, in qua pro ſtipendio *Vita* datur viritim. *Martinus Laterna*, veſtro prælucens ardori, his vos moribus, his legibus inſtitutos, maioris auctoramenti initiauit Sacramento. Immortali mortales admoti ſympoſio, vitalis alimoniæ vſu, vitam viuitis, morti & forti inacceſſam.

Procul hinc, quæ duas, ex vna effecit Ciuitate, diſcordia: vnica ter Sacri CORPORIS Reſpublica, vnâ mente animari, vno ſpiritu regi amat. State mutuis animorum in excubijs, Senatus Populuſque Drohobyciæ: Stationariæ vt abſint cuſtodiæ, in Angelico vtique alimẽto, præſentiſsimum latitat periclitantibus munimentum.

Felix Vrbium conditio, pro quibus iure Ciuicæ Sodalitatis, tremenda ſub hoſtia, in hoſtes excubat *Ciuis Deus.*

Cæterùm, vt partem pallij, tuo non præcideris *Martino*, eius tamen felicitatis particulam obtines, in ſuarum *Chirographo Literarum*; quibus à manu & Stylo Martyris pretium acceſsit, & pondus. Quot iſthic apices verborum, tot faces præmicant ad virtutem. Preſsis tenete manibus, ô Ciues, parænetícam LATERNÆ epiſtolam, Veſtræ ſeu Priuilegium gloriæ, ſeu proſperitatis vadimonium.

J nunc
Et infecundam Heroum, appella Drohobyciam.



DIVA LAVRETANA

Ad Lyram decantata.

Cùm eius nomini dicatum ANDREAS CZARNECKI *Burgrauius Cracou. exornaret Sacellum, in Baſilica SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, ad Collegium Cracou. Soc. IESV. Pro felici ac incolumi ſuo ex Italia reditu. Anno Dñi: 1642.*

In gratiam Nationis Italicæ.



Vis te mariti Numinis arbitram
Ædem, curuli nube ſuper, Lecho
Inuexit orbi? quis volentem
Sarmaticas habitare terras

Ab vſque Thuſcis finibus aduenam,
Per Adriani cærula Nerei
Tranſmiſit? & latè videndam
Viſtuleas propè fixit vndas?
O tecta Diuis hoſpita! peruium
Diuinitati limen! & ô Laris
Arcana Maieſtas, recepti
Connubijs celebrata VERBI.
O elocuti prodigialiter
Cortina Veri! triſte labantium
Tutela terrarum, & Reorum
Ara, ſalutiferumque Numen.
Hîc ille Suadâ blandior Atticâ,
Edicta miris explicuit modis
Orator Ales: Virginique
Sidereo tulit ore pacem.
Non peierantis Nuncius eloquî
Cæli futuram pollicitus Nurum.
Hîc CONCATENATVM MARIÆ
MANCIPIVM fore dixit ORBEM,
Lectus Tonantis conſilio Puer,
Iam non inani nomine GABRIEL,
Terriſque, gratatiſque pactum
Concilians Hymenæon aſtris.
O Arca Sacri conſcia fœderis!
Poſſeſſa multo Regia Numine!
Dotale Culmen; & pudicum
Virginei penetrale Tecti!
Quòcunque temet Spiritus impulit,
Tecum ſequacis Relligio Caſæ,
Carique demigrant Penates,
Et volucris iuga parua Sedis;

Pauperque rerum Cultus, & abdita
Mensæ supellex: fictilium rudis
Fortuna, submotoque felix
Pauperies comitatur auro.
Latè patentis te Syriæ, frequens
Primis honorum ditat adoreis,
Ciuis, Galilæiq; circùm
Indigetem coluêre tractus.
Te Nazareno pacis in otio,
Clausam latentis vecte modestiæ
Retexit, illustremq; nosci
Attalicis Helene metallis,
Et fulgurantûm luce monilium,
Fusisq, Regum diuitiis grauem
Stipauit: inclusitq; ductis
Cara Deæ simulacra templis.
Hæc & beati Claustra Palatii
In se reducto sepiit ardui
Errore muri. Ni profano
Pulsa Fides Oriente, Sacris
Nudaret Aras, fanaq; cultibus:
Mox & Paternis præses ab vrbibus
Cessit, Palæstinosq; colles
Et Solymi iuga liquit orbis.
Iam tunc migrantem te Patriæ plagis,
Fleuêre magnæ rura Capharniæ,
Fleuêre Iordanis fluenta,
Et Libani gemuêre saltus.
Donec tepentes inter Etesias,
Post æstuosæ marmora Thetidis,
Portus requirenti secundos
Illyrici placuêre Soles,

Ergo virentûm terga cacuminum
Hinc inde motis insidet oppidis;
Quà ponè Tersactum, refusa
Adriaci tumet ira Ponti.
Iam cæpta gazis: iam viridantibus
Cingi Smaragdis; cùm malè tristibus
Bellis inhorrescente regno,
Dalmaticis abit exul aruis.
Quis tunc pauentes Illyrici dolor
Exciuit vrbes? Diua Reuertere:
Dum voce, dum questu, frequentant,
Solliciti reuocare Ciues.
Tum Recinetæ, pulsa ter, occupat
Dumeta syluæ. Sic Honor inviis
Latere dum certat, per ipsos
Emicuit nemorum recessus!
Vidêre stratis, Te Domus arbores
Vidêre ramis: & viridem Tibi,
Flexêre ceruicem, & supinâ
Procubuit nemus omne pinu!
Frustra: citato nam Lare, protinus
Insons auaris Munus ab accolis
Profugit; & contaminatos
Deseruit noua Nympha lucos.
Tandemq; Fratrum cæde calentium
Discorde cliuo sedit. at improbi
Pertæsa lucri, sanctiores
Italiæ subit hospes oras.
Quoscunq; terris dulciùs incolis
Regina Soles; vindice seu manu
Thracas remoliris, clienti
Arce procul, iaculata sæuas

Ab axe flammas: & Mareoticam
Classem profundo mergis in æquore;
Arces vel instantis Tyranni
Fulminibusq; lupisq; Castra.
Seû Exquilino MATER in agmine
Caris Tuorum cætibus interes:
Aût colle CZĘSTOCHOVIANO
Supplicibus Lechiæ querelis
Gaudes rogari: siue iuuat leues
Tranare nubes, aut Zephyris super
Te ponè stipantûm reclini
Turba vehit, reuehitq; collo:
Reuise Craci mænia lætior
Tibi dicati prouida liminis;
Cerisq; donisq;, & metallis,
Et trabeis radians & ostro.
Descende, quò te Regificis PETRUS
Inuitat Aris: Collis ô Itali
Augustal æternum! Latinæ
Depositum, columenq; gentis.
CZARNECIANÆ quà benè prodigo
Exundat amni fons Opulentiæ.
Per Sacra LAVRETI refusus
Atria, Virgineosq; postes.
Votiua iam nunc flamma recentibus
Crebrescet Aris. Iam pia pensilis
Querela voti. Iam fragranti
Thure calent animisq; templa.
Tui, excubantem Limen ad OSTII,
Ne Mancipatis deme Clientibus
O Virgo: Si Tibi Decembres
Accumulat, tua festa, pompas.

EXPEDITIO
LEGATORVM
IN GALLIAS,
Ad Desponsandam Deducendamque
LVDOVICAM MARIAM
GONZAGAM CLIVIAM,
Mantuæ & Niuersi Principem,
VLADISLAO IV.
POLONIÆ ET SVECIÆ
REGI INVICTISSIMO.
TRANSACTA
Per Senatorij Ordinis Viros:
VENCESLAVM
Comitem à Lesczno,
LESZCZYNSKI,
Episcopum tunc Varmiensem, dein Primatem Regni,
ET
CHRISTOPHORVM
Comitem de Bnin,
OPALINSKI,
Palatinum Posnaniensem, &c.

Illustrissimo Domino,
D. LVCÆ DE BNIN
OPALINSKI,
COMITI IN TĘCZYN
Auctor Felicitatem.

QVæ obiter de Expeditione Legatorum in Gallias accepi, an eâdem fide orbi reddiderim, Te arbitrum requisiui Illustrissime Domine. Apud quem studia partium cùm langueant, verè mihi es metator æquitatis. Indignabar videlicet, populari idiomate, non popularia celebrari, nec perinde ac mereretur tractari gloriam. Præterea, non ferebam ea punctim expendi, quæ palmaribus ducenda lineis ad posthumæ ætatis conscientiam transmitti, par esset. Et præstitére id quidem humanissimæ Academiæ, præstitit Vates Gallicus; non ita tamen vt postremo famæ internuntio, viâ publicâ interdicerent. Commune ad immortalitatem iter est mundi Ciuibus Pòëtis. Eòdem & mihi pergendum est, sed per atria Domûs Tuæ, in quam non minùs gloriæ, quàm Fraterni sanguinis deriuasti: ratus ea quoq; Tui iuris esse, quæ ille foris te absente gessisset gloriosè. Quanquam nec Tu omninò aberas, coniunctissimâ voluntate germanum secutus. Vt mihi in raram hanc Fratrum imaginem intuenti, erudita priscæ concordiæ nomina videantur redîsse. Sanè consultiùs Romani Nauim hanc Vestram pro Æde Concordiæ *coluissent. Ac vt aliquid in rem meam apud Te semel loquar: Habes hic paucas quidem sed magnis inscriptas nominibus paginas. Parum interest*

quâ

quâ manu æternitati porrigantur. Vtinam viro mentis compositißimæ, & carmen compositum afferre potuissem! cui vix à celeritate gratiam polliceri poßim, fide integrâ meliùs quàm numeris instructo. Historici quippè similior, quàm Pòëtæ, Hyperbolas ab hac Expeditione ablegaui. Non egent ingenioso fictionis genere, qui factis vltra fidem humanam, non supra suam indolem progreßi sunt. Et commentariolos famæ publicæ attexui, ne quis vlla hîc suspicaretur commenta. Solem vestire contenderem, si lucem splendidißimæ Legationi aliundè mutuarer. Certè si vel Heròico Maronis cothurno attollar, ad pompæ illiûs magnificentiam non aßurgam; vt vel ideò tenuitati meæ grandia deprimenti succensere vix poßis. Vale Vir Illustrißime, & hanc Tuam ARGO eruditione læuigatam, fortunâ velificante, ad Perennitatis Floridam, sed lentè, promoue. Et me, meamq́ Societatem, quâ soles beneuolentiâ inuolue.

EXPEDITIO GALLICANA.

„ IMperijs quicunque vetat Connubia, nescit
„ Regnorum Regumque vices. Viduata Potestas
„ Tuta parum: quâ parte sui cadit, occidit illâ
„ Dimidium Solij. Thronus & Torus otia Pacis
„ Parturit. Æternus socio stat robore nexus.
„ Ardua res Honor est. Operum superincubat ingens
„ Augusto moles humero: Belliqúe Togæque

Ex Politicorum sententia.

„ Idem iura tenet; rerum ſed pondera Conſors
„ Alleuat, & mediam cum Principe ſuſtinet aulam;
„ Securumque domi, permittit in extera tutò Tacitus XII. Annalium.
„ Munera conari. quò, ſi cadat alea Fati
„ Durior, in commune ſuo benè conſulat Orbi.
„ Miteſcit per plura Labor iuga ſciſſus. Vtrinque
„ Cura bipartiti leuior ſolet eſſe negotî.
VLADISLAE Salus hominum. Tibi proſpera vultū
Pandit Eös, tenſisque rubro ſuper Æthere flammis
Jlluſtrem roſeo prætendit lampada Soli,
Auſtriacam referens tumuli de nube RENATAM.
Diligitis Lechiam Superi! nêu irrita mundi
Omina ſucceſſu nouiter firmatis aperto.
Altera Sarmatico dabitur Lauinia Patri,
Cûi Sacræ decora alta domûs, animæque latentis
Arbitria, & paruum committere poſsit Iülum.
Jmus? an Æſtiui fruſtra de parte Sereni
Flaua Ceres, culmisque vocat redimita Virago.
Jmus? ab Auguſto qui Cæſare nomen herile
Menſis habet, decimam niueo ſignare lapillo
Contendit cum Sole diem. Siracouia nunquam
Jndulſit ſibi terra magis; dum patria propter
Limina, magnificæ primordia cernere pompæ
Fas erat. Eia nouis lectiſsima corpora cœptis
Alipedes frenate, leues inſternite ſhedas,
Attalicæ comitentur opes: ruat incita Pubes,
Ponè Equites, peditesq; retrò. Volet oppida præter
Rumor, anhelantûm curſus præuectus equorum,
Claraque mobilibus tempeſtas fluctuet agris,
„ Protinus in laurum, quidquid rota preſſerit, ibit.
Vos quoque nauigio, ſed non & mente diremti
Scandite tranſtra viri, date vela, capeſsite remos,

Iter auſpicatur CHRISTOPHORUS Opalinski Palat: Poſnan. Legatus in Gallias.

10. Auguſt. mouit Siracouia in Pomeran.

Præcipui è nobilitate comitatus Palatinum

Venceſlaus Leſzczynski Episcopus Varmien: Legat. in Gallias.

„ Mili-

„ Militiæ formas Amor induat. Ite ſequaces
Quà ducit Paranymphus Honor, Lutetia portum. Separatam ducit claſſem mari Balthico.
Læta dabit, portuque aliquid ſpectatius illo,
Sudat vbi rigui longè celeberrima Nerêi
Gloria, natiuo qui torrentiſsimus auro Sequana alluit Pariſios.
Sequana, Pariſiam liquidis erroribus vrbem
Præterabit, famuloque lauat ſua mœnia cenſu,
Oſtentans procul amne Deam; cui Mantua Ceras Origo Mantuæ. Virg: l. 10.
Et Titulos, & auita Ducum diademata, Mitras
Fatidicæ gaudet tranſmittere flumine Mantûs.
Soluit OPALINIAM patrio de littore NAVIM Inſigne Opaliniæ Domus.
Sarmatiæ pacata Quies, ceſſantibus altè
Bellorum Ferrique Notis; Mareotica quales
LVNA mouet, Scythicum quoties agit æſtibus æquor
Boſphorio tumefacta Salo, populatibus audax.
Quæ fuerat tunc illa dies! Cùm Phœbus ituris
Diſtinxit meliore comâ Primoribus Horas,
Non ſolito iuuenum cultus de more ſerenans.
„ Magnis magna decet conſtare paratibus. Ergo Xerxes maria ambulat, terras nauigat. Cic. de Finib.
Pars pelago maturat iter, pars Balthidos arua
Nauigat, & ſiccas equitatus inundat arenas
Xerxis ad inuidiam. Regum placidiſsime: Tædas
Diſtribuunt Elementa tuas, Terriſque mariſque
Grande ſonans auditur Hymẽ. Thalamiq; reſultant,
QuisProcerũ fremit ille globus? quæ Caſtra Quiritũ
Jnſtructis glomerantur equis? Naualia credas
Prælia miſceri. Conchas legat æquore victo
Cæſar, & ignauæ leuis oppugnator arenæ: Caligula apud Suetonium.
Oceani ſpolia ampla ferat, conchylia, caſſas
Ridiculi Mauortis opes, & inania lucra.
Vos aliò ſpes pulchra citat, repetitaque Diuûm

Signa

Signa mouent, viduo Lechiæ ſuccurrere Sceptro.
Jte graues meritis Animæ, paribusque ſecutas
Auſpicijs animate Rates, ô bina Togati
Numina conſilij. Ne Caſtora deſere Pollux
Sepoſitas inituro vias. Ne ſeparet Æquor,
Quos genus & genius, maieſtatisque maritæ
„ Cauſa ligat. Meliùs gemino micat ignis ab igne:
„ Iactatamque docent duo certiùs aſtra Carinam.
Dic age Varmiacæ decus immortale Tiaræ,
Tantanè te dubij cepit fiducia Ponti
Naufragij intrepidum? Veliſnè capacibus, omnem
Accipies Borean? alibi ſecuriùs acta
Jn laudes cadet vnda tuas. Cryſtallina Tethys
Depoſitum tam grande vehat? cûi vitrea frangi
Colla, genæque leues, & lubrica fallere ceruix.
Periuro ne crede mari. Tritonibus vllam
„ Reris ineſſe fidem? Nihil eſt quod in æquore tutò
„ Spreueris. Inſidias Maleæ, Syrteſque doloſas
Vt taceam, volat ante Pauor, manifeſtaque lethi
Effigies oculos euerberat. Africus inde
Jnde minax Aquilonis hyems; hinc Balthica terret
Cærulei caligo freti. Quò tanta volentem
„ Regum iuſſa vocant? An & ipſa pericula mundi
„ Diſcere pro tanto, vel temnere Principe, dulce eſt?
„ Adde, quòd Heroûm puppes, maioraque clauſtra
„ Oppugnat maiore globo Neptunus, aquoſæ
„ Rex patriæ. Decimo quatitur Prætoria fluctu.
Scilicet infeſto propè gurgite vidimus hauſtos
„ Exulis Æneæ ſocios. Benè, paruus Phaleſus
„ Labitur, Adriacæ quamuis ruat æſtus habenæ.
I tamen & tumidas animis euince procellas,
Frange

Legati, Senatûs auctoritate & ſanguine ſibi coniunctiſſimi.

Ad Antiſtitem Varmien. dum nauim cōſcenderet.

Mare Balthicum.

Decumanus fluctus.

Magnanimitas Le-

Frange Euros, moderare Auſtrum, ſæuosq; coërce
Æoliæ famulos: ignobile vulgus aquarum
Helleſpontiacæ captiuans vecte catenæ.
Fors & Agenoreo multùm generoſior auſu
Æquoreum tibi Taurus iter ſignabit, & Aſtrum
Sufficiet, Cynoſura tuis vt noctibus abſit.
Vna VLADISLAI fortuna ſequetur vtroſque,
Alterutrum ſors æqua loci ſi deſerat. Omnes
„ Expediet LVDOVICA vices. Dabit omina virtus,
„ Si Nemeſis Parcæque negent. Hic alite dextrâ
„ Remigat, à tergo quem Fas & Numen adurgent;
Quantumcunque moras laterum, tabulataq; circùm
Seditio ventoſa fremat, maria omnia torquens
In caput vnius. Non exſuperabile Fatis
„ Eſt iugulum quod Balthi petis. Scyllæa Charybdis
„ Pectoris infracti ſolidam non ſubruet arcem.
„ Nouerit Oceanus Domino cui pareat. Iô
Præſuleâ prece detumuit Neptunia nubes,
Nereidum plauſêre chori, Delphines euntem
Terga ſuper vectare ſcapham, viſique iocoſis
Flexibus, inuitare retro ludentia Cete.
„ Quæ rapidum docuit miteſcere dextra Biſontem,
„ Hæc eadem digreſſa fretis portenta domabit.
„ Prô Superi! quantis Regum ventura parantur
„ Fœdera diſſidijs! Terror prælusit Amori!
O Lechiæ tutela tuæ Rex maxime, totâ
Miſcet humo pelagoq; tuum Dea Pronuba nomen
Miſcet, Amazoniæ cultus imitata Camillæ,
Sidereos accincta ſinus, propiorque ſeueræ
Palladis ingenio, formoſius ardet ab armis.
„ Nobilibus nec obeſt gemmis conchyle, nec auro

LESCZYNII Catenas Helleſponto iniecit Xerxes Biſon aliis Taurus ſylueſtris LESCZYNIORUM inſigne.

Taurus cæleſte ſignũ.

Periclitantur naues Leſczynij.

Vis Pontificiæ precationis.

Stemmatis Leſczyniani occaſio.

Maris Balthici oram præteruecti ſunt Legati.

„ Glarea, nec Tyrio temeratur purpura tabo.
Quid, quòd inaurato circumſonat aureus arcu
Nec temerè vacuum iaculatur in æthera telum
Flexaminâ puer ille manu; neque cæcus vt olim
Impetus, Hinnuleas docilis configere damas:
Nil oculis vulgare legit, ſed arundine certâ
Imminet, & prædas magnæ ceruicis anhelat;
Mantua Regifico quales alit ardua ſaltu.
Digreſſis at enim patrio de limite, fidâ
Teutonici ditione ſoli, dedit hoſpita primos
Drezna Lares. parili vice, Volemburgica certant
Mœnia. Plus vltra contendit honore Sthetini
Nobilitas, reſeratque domos, & fana recludit.
Nam quis Roſtochiam generoſa examina Pubem
Tranſierit? motis Academia tota Lyceis
Tendit in occurſus! Certat cum Pallade Mauors
Hoſpitij pro laude: Tubis hic, ille Camænis.
Pars gentilitiæ ſublimia Carbaſa Cymbæ
Colligit in nodos, pars explicat amne diſerto.
Ille canit Socios, Typhinque volatilis alni, &
Orphea non ſcopulos Thracũ, ſed corda trahentem
Eloquijs. Pars Pegaſeo temone, vibrantes
Debita LESCZYNII vehit inter ſidera, Vittas.
Pars, veteris præluſtre Feræ caput inſerit aſtris,
Virginis Europæ miſſo vectore ſub vndas.
Taliter antithetis ludentem ſæpè Thaliam
Audijt, inque vicem pro ſe pugnantibus hoſpes
Adſtitit ingenijs OPALINIVS, auctor Honoris
Ipſe ſui: placidum formoſa modeſtia vultum
Purpurat. Incertus, laudetné locuta diſertè
Roſtra perorantûm? ſed ſe laudauerit, ampli

Cupido Pharetrat9.

Prima Statio Palatini Drezna

Sueciæ propugnaculũ Voléburgũ Sthetinũ.

Roſtochiũ vbi officiosè à Senatu & Academia acceptus!

Luſus Oratorum ac Poetarum inſtemmata Legatorum.

Caput Biſontis Tauro Agenoreo præfertur.

Roſtochiana Academia.

Mate-

Materies opulenta metri. Certamina Vatum
Approbet? argumenta quibus dedit ipſemet. Ille
Carmen habet plerumque, gerit qui carmine digna
Sufficiens animam fidibus, flamenque Poëtis.
Sic demum Batauas Comes interfatus Athenas
Comiter argutâ preſſit breuitate Laconem:
,, Natales ô ergo foris Honor aduena terras
,, Inuenit, & Patriam patrio dimotus ab axe?
,, Dilectæ Muſis animæ! quibus Attica Suadæ
,, Temperies & Sparta domi, communibus æquè
,, Militat obſequijs, & mœnia duplice vallo
,, Conſilij Martiſque tegit: ne robur eâdem,
,, Debuerat quâ ſtare diu, ſub mole fatiſcat.
,, Roma ſuis veluti perijt malè viribus vſa.
,, Forſan & Italiæ domitrix Carthago ſtetiſſet,
,, Nî foret ingenuæ ſtudijs inimica Mineruæ,
,, Heu nimis armorum ſitiens! Hîc Laurea Linguæ
,, Annuit: arma Togæ pulchros famulantur in vſus,
Et famulentur adhuc; toties nec in horrida belli
Cœpta Duces populoſq; trahãt. Quid multa manebit
Fixus amor, ſocijſque fides inſcripta medullis.
Dixit: in hanc ſubitò ceciderunt barbita vocem.
Menſa nihil populare ſapit; ſimul erudit aures
Docta fames. Lecto ſtat Apollinis ordine, pulchrâ
Lege ſatellitium. Citharæ pater Orpheus adſtat,
Gratia prælibat calices, tenet altera nectar:
Delicias Helicon, mittit bellaria Cynthus,
Delphica mala Deæ, quarum quæ proxima Phæbo
Maieſtate, refert, abſentis imagine multùm
Capta VLADISLAI, fecêre ſilentia Muſæ:
Diue Iagelonides quo præſide perfida fractam

Reſpondet OPALINIꝰ tantæ hoſpitalitati.

Laus Roſtochij non litterati minùs quàm armati.

Romæ & Carthaginis occaſus & cauſa.

Senatus & Academia apparatiſſimo conuiuio excipiuntur à Palatino.

Certamen Poëtarum.

Plorauit fortuna rotam, didicêre Tyranni, VLADISLAI IV Regis inuictissimi Panegyris.
Odrysiæ sensistis aues, infausta rapinæ
Pabula, nec Schytiâ missos impunè latrones.
Exue belligeram tantisper fulmine dextram,
Herculeos age monstra sinant cessare lacertos.
Quis pudor Alcidæ, spolium prægrande leonis
Ponere? & assuetam necibus suspendere clauam
Sic etiam vigilem sæuamq́! nec Annibal excors
Obstiterit, Pœni qui robora militis, & se
Perdidit hyberni Campana per otia luxûs.
Non ita Te Genitor gelidâ durare sub Arcto
Acribus erudijt monitis, vt fracta videres
„ Corda dolens animosq́; virûm. Stat inertia contra
„ Laxamenta, Lechi facies intenta Gradiui,
„ Et legum lictor timor excubat, ordine mortis
„ Omnia complexo, ductisque ter vndique fossis:
„ Ne qua patrocinium sceleri manus addat, auaram,
„ Aut grauis argento pertingat Asellus in vrbem,
„ Ariêtet inque seras, non Pelias hasta, sed aurum.
Vix ea finierat, cùm subiicit altera, tristes
Deproperans Elegos, functam sic questa RENATAM CÆCILIÆ RENATÆ occasus.
Deuia prô rerum series! etiamne sereno
Inuidit Lucina toro? illusitque nefastus
„ Augusto Tumulus Thalamo? nec dispare lauro
„ Seposuit mutilas Nemesis violenta Cupressos?
„ Illidens taxos hederis, & Solibus Vmbras.
Pluraque tentâsset, nisi plangere plura paranti
Argentum vocale chelys rupisset Apollo.
„ Quid malè compositam rursus liuescere cogis
„ Musa cicatricem? Non bis geniale querelis
Tempus eget: tetricæ procul hinc exeste Camænæ.

 Red-

„ Redditur Æneæ fatis erepta Creuſa.
Ipſa fatigati poſt mutua prælia mundi
Componit Cytheræa minas, Bellique-Potentem
Exarmat, ſed adultus Amor. nec lege ſub vna
Fingit Hymen Pæana, tubas & tympana plectrum,
Flamea vexillum, ſupplet Caducifer Haſtas.
Occurrit vincique negat Lubecca, Senatûs,
Et Procerum torrente fluens. Arx igne remugit:
Ambulat omnis ager cumulis, & iugera muſſant.
Singula mirantes populos bonus erigit error.
Tanta vel abſentûm rapit expectatio Regum
Alterno clamore ſonat per mutua centum
Ora VLADISLAVS, bipatentibus obuia portis
Turba meat, ſubeunt Equites, & campus adhinnit,
Æra crepant, populis feruent pomæria, Ciues
Dant aditus; fluit vnda foro refluitque iuuentæ
Multa ſalutantis. Teneris non blandiùs vlla
Cantibus, heroàm Sirenula diſtulit Argo,
Aut refugum docto modulamine flexit Vlyſſem.

Lubecca humanitatis officio par cæteris Pomeraniç Ciuitatib9.

Ludor? an Hamburgi ſe propugnacula tollunt:
Mercibus & belli ſtudijs Carthago ſecunda,
„ Digna loci genio, tectiſque inducere Reges.
„ Omnibus omne ſolum domus eſt Heroibus vna.
Magnarum ſatur hîc rerum Legatus, amico
Vincla ſupercilio, pœnaſq; relaxat iu vrbe
Supplicibus, veniamq; orat, remouetq; ſecures.
„ Quos miſeris adimi prohibes Orator, eoſdem
„ Addis Opalini ſoles tibi. Brema ſecundis
Condita Cælitibus, quo te ſatis ore Tuoſque
Proſequar indigenas? æquataque culmina cælo?
Ingenium quàm mite tibi! quàm pectora nudus

Hamburgũ Germaniæ opulentiſſimum emporium. Hîc Opalinius nonnullis pœnã capitis deprecatur Brema hoſpitalitatis laude vix non prima.

Candor ineſt; quæ forma loci! qui vultus Honeſti,
Qui modus armorum! quàm cuſtodita Seueri
Relligio, quàm docta ſuis munimina clauſtris,
Aptaque pulucreo moles digeſta fragori.

Munitio Bremana.

Oldemburgiacæ quis munera neſciat oræ?
Muneribuſque pares animos? etiamne recurſat
Gentis honor? dulceſque ſitus, viridaria, ſaltus,
Luſtraque venantûm lepido clamata tumultu.
Innocuis feſtiua ſonis tormenta ſuperbas
Hic feriunt impunè dapes: hîc ceruus heriles
Figitur ante oculos. per tot diſcrimina laudum
Tendimus in Latium famæ, gens extera. Tandem
Hoſpita patricias remoue Pomerania menſas;
Quò Regum ſtudioſa vrgent mandata, ſequamur;
Increpat Autumnus, matura flagrantibus vuis
Tempora præcinctus, frontem liuente racemo.

Oldemburgium. hîc pluſculum commoratus, eximijs cultus officijs & donarijs Legatus. venationi intereſt. 16. Septẽbris venit ad Friſiæ confinia.

„ Omnia ſunt magnis æqualia mentibus, impar
„ Coniugium non eſſe poteſt, quod auentibus aſtris
„ Iuſtior æquali diſpenſat Libra bilance,
„ Raraque (ceu fuerat Geminis) concordia Fratrum
Conciliat. Tam longa viæ faſtidia, ſæpè
Tincta verecundo ſale fabula temperat, ægras
Permulcente moras ac tædia, gentis amore.

Sole in Libra tunc diverſante.

Antiſtes & Palatinus Legati Fratres conſobrini.

Iam quoq; Varmiaci longo procul ordine currus
Terrarum per aperta ibant; cùm fama per Vrbes
Per ſola grarantis Friſiæ, dominataque latè
Regna Batauorum volitans, cupida agmina tectis
Elicuit; ſimul indigenas exciuit ad arma
Arma ſed officij. Riſerunt oppida fauſtis
Plauſibus, ad poſitos vt læta celeuſmata remos
Margine reſponſant. Placitis Hollandia noſtris

Fama nuptiarum, implet Friſiã. Hollãdiã.

Conſo-

Conſonat, Arctóúmque refert per cærula Sponſum
Veliuolis inuecta rotis; vbi decolor Indus,
Diues Oromuſijs vbi grandinat inſula gemmis.
Interea iunctis equitum peditumque cateruis
Immigrat actutum Batauæ Lesczynius Vrbi
Et Roterodamios implet ſacer aduena muros, Conuêni ũt Legati
Extremum poſiturus iter cum Fratre Duumuir.
Ac veluti pluuiæ ſatur Iſtula, Vere tepenti
Cùm ſocias accepit aquas, aut quando ſolutas
Immodico bibit ore niues, & iunxit vtrumque
Robur, inexhauſto rapitur per plana tumultu, &
Frugiferas vehit amne rates, gaudetque tricenâ
Claſſe coronari, comitantibus vndique cymbis:
Taliter egregiæ iam tum præludia ſcenæ
Acceſſu creuêre pari. Vix machina paucas
Impulerat ſtellata rotas Hyperionis, & iam
Belgiaci nitidus micat, Orbis & Vrbis Ocellus, Antuerpia
Muſarum bellique capax Antuerpia. Phœbi Lipſio Vrbiũ oculus.
Prima domus; Lar eloquij, doctæ atria Mentis.
Inde Brabantini non vltima gloria cæli
Bruxellæ ſublime caput, conantur in aſtra Bruxellæ
Et Galli ſpatioſa procul confinia cernunt.
Vix benè Lutetiæ turres ac tecta patebant, Lutetia.
Cùm ſubitus Comitũ conclamat ab agmine Koſtka:
(Diuorum genus ille ſacro de ſanguine ſanguis) Comes à Stemberg
O regio dilecta Lechis! ô ſera voluptas! ex proſapia
Te decorum Matrem de tot magis vrbibus vnam B. Koſtcæ.
Flagitat Europæ domitor. Da iungere dextram
Quâ Reges & regna trahis. Tua Lilia noſter Lilia Gal-
Campus auet, quanquam fæcundior ille Roſarum licana.
Quas cruor Edonius, non pictus Adonidis hortus

„ Con-

„ Conſerit, hoſtili generoſa Roſaria tabo
„ Dulcè rubent. Meſſem proprij cur Mantua Veris
„ Inuideas? non ſemper hyems Arctôa Bòötæ
„ Stringit humum; Lechicis etiam naſcuntur in oris
„ Perpetui flores, inſcripti nomen Achillis,
„ Non vultus Narciſſe tuos: Mauortia creſcunt
Gramina Cadmæi deducta noualibus agri.
Ecce autem propriore micant faſtigia cliuo,
Murorum patet omne latus, patet ardua viſu
Regia, læta ſitu, nec marmoris indiga, cœli — Regiæ magnificentia.
Æmula, contiguo quam ducta palatia flexu
Obſidionalis cinxerunt more Coronæ.
Subſtitimus. Pars comit equos, circùmq; ſonãtes
Cornipedi phaleras accommodat: ille Smaragdis — Apparatus Legationis
Turgida, multiplici diſtinguit ephippia nodo, ac
Mygdoniæ affingit ſpecioſa choragia plumæ,
Pegaſon aſſimilans leuibus qui remiget alis.
Hûic Phrygio chlamydem diſcreuit Hethruria fuco
Inſperſis hinc inde notis. Hûic gemmea ſtrinxit — Veſtium exquiſita elegantia.
Fibula Achæmenios cinctus, veſtemque Lacænam.
Ille catenarum grato non abſque tumultu
Mobilibus Latiale iubis interplicat aurum
Solis ad inuidiam! Patrij ſua gloria moris
Quemque rapit. Non laurigerum ſi Mantua buſtis — Virgilium Mantuanũ.
Eliciat vatem, celebris proſcenia pompæ
Expediet. Non tot fremuêre Corinthia Graiîs
Luſtra choris, dum ſacra Dijs decurreret Iſthmos;
Nec tot Olympiacis plausêre theatra cateruis:
Quantus equis, quantuſque viris refluentibus ardor
Pariſiam Lechicis vrit ſplendoribus vrbem!
Primus vt inſtructos Paranympho Marte Quirites

Vidit Opalinius, partitus & ipse vicissim
Vittato cum Fratre vices, vocemque, profatur: *Elogium Galliæ.*
„ Gallia Nobilium genitrix fœcunda Dearum
Hospitio dignata Deos, mare Sanguinis alti
Pande sinus. Genus ecce genus Mauortis & insons *Tullius 2. Philip.*
Annibal ad portas, ramum prætendit Oliuæ.
Quis labor ô Ciues? Laribus quæ causa frequẽtes *Spectantiũ multitudo incredibilis*
Elicit? Vndantes Euripi more plateas
Non benè submotum vulgus bibit ore, bibitque
Sequana, concitis ad tinnula sistra Napæis.
Quin & quadrupedes (fuerit,) cêu spiritus idem *Equorum generositas.*
Qui dominis) patulis generosos naribus ignes
Atque oculis habituq; vibrant, equitemq; supinant
Leniter, & versis faciles dant ora lupatis.
Curritur. innumeris feruet discursibus omnis *Tota ciuitas Lutetiarum effusa.*
Porticus: hi redeunt, illi venientibus obstant.
Vix pudor innuptas prohibet: vix grandior ætas
Caniciem tardat. Dictæ data copia lucis.
Expectant auidæ Matres, & lumina centum *29 Octobr solenni pompâ Vrbem iuuehuntur.*
Centenas optantque acies. Per compita sermo
Vnus: adesse viros, Latij qui prisca Triumphi
Secula, Romanæ qui maiestatis auitos *Publicus Galliæ sensus de hâc Legationis maiestate.*
Restituant animis, opibus, cultuq; decores.
Flaminias iterumq; vias, iterumq; Philippi
Legatos, pariter promptos linguâque manuq;.
Libera mens & Suada Lechis, & dextra; Senatu,
Campo, consilijs, & legum vindice ferro.
Ergo aliquis, Magni cûi non duntaxat inane
Nomen Alexandri, dictis ita lusit acutis: *Alexander Opalinski.*
Desine Sarmatici miratrix turba Triumphi
Assyrios reputare viros, mollesuè superbi

Muricis heredes. Non Serica regna venimus
Persidis aut pugiles, arcu, pharetrisq; videndi.
Namq, paludatos quæ nunc indulget amictus
Hora, secuturus belli mox detrahet vsus.
Quem Tyrio fulgere vides in tegmine; toruæ
Tygridis hic idem spolium, vultusque Chimeræ
Induet. Hos humeros Pardi Gryphesq; decebunt.
Quæ modò suffixum grauis vngula succutit aurum,
Post chalybum nodos & ahenea frusta reposcet.
Ferrea gemmiferis inducet flumina venis
,, Mars Lecheus: Inest etiam sua gratia ferro.
Threijcia sonipes qui nunc niue purior, altum
Gyrat herum, gemmis & lacti concolor, idem
Decolor hostili pinget de strage capillum,
Gaudentemque iubam posito iactantior ostro
Soluet in arma ferox. Phaleras confundere tabo
Hic mallet quem cernis equus; licét æqua venustas
Certatim maculis internigrantibus, albam
Assimilet cum nocte diem. Qui poplite flexo
Cum Domino procumbit humi Regemq; salutat
Confessus quadrupes, animosus ad horrida surget
Classica: bellator pugnace monilia collo
Excutiens. alios posthac ediscere saltus
Incipiet clangente tubâ, gressusque citabit
Doctior alteriûs choreæ. Iam porticus ingens
Ceperat, ingressos læuâ dextrâque Polonos,
Hâc vbi panduntur magnorum oracula Regum.
Cùm prior eloquij reserat LESCZYNIVS amnem
Affatuque sacer Regalibus influit Hospes
Auribus, & tenerum delenit Nestor Achillem.
Altera victuri post fata Parentis imago

Et

Parodia ad Heroicam A. Remy Oratoris & Poëtæ Gallici Musã.

Soleæ auro elaborat.

Equus OPALINSKI Legati.

Discolores aliquorum equi. Ioan. Trach Gninski.

Aula Regia, ibidemque audientia.

Episcopus Varmiens. primò peroratẽ

Et Sceptri ſpes nata tui DELPHINE, ſagacī
Ingenio prægreſſe moras ætatis, & altâ
Indole reſtituens LVDOVICI nomen & omen;
Qui Tibi cum patrio patrium dedit enſe lacertum,
Quo pugil obtrunces hydras & monſtra Lemani
GALLICVS Alcides. Lechici conſulta Senatûs
Ritè probes; Europa diu quod tota popoſcit,
Mantua promiſit, genialibus annue Regnis
Adijciens Aquilis Aquilas, & LILIA SCIRO.
Cernis? vt ad Thalami Sacraria conſtitit auſpex
Terrarum procus orbis; adeſt Mars Belgicus iræ
Parcior, & purâ ſolitò clementior Haſtâ
Alternæ dirimit ciuilia damna ruinæ.
Terribiles tacuere tubæ: fragor occidit, algent
Fulmina, telorumque ſeges decreſcit in almæ
Meſſis Hyperboreas, at non ſinè ſanguine Lauros!
Tanta IAGELLONII ſubijt reuerentia Sceptri
Damnatas ad bella animas! & tanta verendi
Cura tori! Puduit cupidum ſua ſerò Gradiuum
Cœpta retractari; nec adhuc feralia pugnæ
Semina, Lethiferis Erebi defoſſa cauernis
Mutua ſacrilegum per viſcera ducere ferrum.
Inuida quin etiam geniali turre micantes
Erubuit Bellona faces, Tædamque iugali
Accenſam de luce, ſuis non feruere rixis,
Claſſica miſceri Citharis, Thalamiſq; Trophæa,
Et lituos calamis conſueſcere, Læta ſeueris,
Nil & Amazoniæ Muſas debere Camillæ
Indignata, hederam Domino porrexit Amori,
Se vinci gauiſa palàm, frenoſque momordit.
Hæc ſatis abſenti pro Principe. Cætera, mentis

DELPHINVS LVDOVICI XIII. Filius Galliæ Rex.

Summa Legationis.

Poloni Regis & Regni Stemā Scirpus, & Aquila.

Faces bellicæ in Tædas tranſeunt nuptiales.

Fida, reuelato narrabit Epiſtola vultu
Arcanos patefacta ſinus, cuſtode Sigillo. *Literas Rege ſu exhibet L SCZYNIVS*
Dixit: Hydaſpæis vt erat variata lapillis
Tænia, centenos replicato fulgure Soles
Conficit, & dulci peragrat conclaue Sereno,
Mens tamen, & Suadæ facies pretioſior auro eſt!
Pone ſubit Fratriſque premit veſtigia, culti
Oris OPALINIVS: (propior tunc forte ſedebat
Aſcanio Genitrix, effulta curulibus altis)
Nî tibi ſcandentem Superi Capitolia Regni *Oratio O PALINII ad Regem Galliæ.*
Præriperet Libitina Patrem Rex vnice, ſtaret
Gallorum fortuna triplex, & maior ineſſet
Lux Solio, triplici de Sidere nata, ſerenans
Externos etiam Thalamos. Nunc Sole fugato
Quod ſupereſt vnum te Cynthia ſpectat Eöum.
At nos vnde domo? quibus huc properamꝰ ab oris?
Quod genus? Argolicas tantùm ne credite puppes,
Quas auri peregrina fames, aut Colchica Phryxi *Argonautæ*
Vellera, famoſo vel cuſtodita Dracone
Poma iuuant. Alias alio ſub Iaſone merces
Veſtigare, nouus pepulit calor. Omnibus vnam
Claſſibus & ſtudijs inquirimus Heröinam.
Nec mala Dardaniæ, vetiti neq; Graia moramur
Furta tori. Captæ celebrata decennia Troiæ, *Paris raptor Helenæ.*
Scimus, & inuiſa Paridem exſecramur in vrnà
Dignum odijs iràque Deæ: nil iura fidemq;
Hoſpitij, nil bella breui ventura pauentem.
Parcite regna metu, Superûm concordibus orſa
Res agitur placitis. Helenam conſenſit in iſtam
Orbis, cum tutis terrarum fœdera velis.
Quis vetet? impauidum pharetrati numen Amoris

Per

Per medias acies, cataphracta per agmina cursu
Fertur ouans: hilaresq; ciet per castra choreas,
Loricæ præfertq; Togam. Delubra Pauori
Belligerans voueat Tullus, nos Pacis amica Tullus Hostilius apud Liuiũ.
Templa decent, decet Ara Sacræ deuota Quieti.
Laxari post multa solet conamina virtus.
Respiret bellator equus; dum serta decoris
Annumerat Bellona lucris, myrtoque potitur
Infringens hederas digitis. Communibus adde
Et Tua consilijs: Sociam Sceptriq; Torique
Tende VLADISLAO. Post prælia dulce remitti.
Gratior est rigidâ veniens è casside Virtus,
Bellorum cupido quæ nupserat ante Gradiuo.
Sic ait. ingenuo dependet ab ore loquentis
Curia, subscribitq; suæ facundia formæ.
Nec mora, PrimoresComitum, Natusq; Parensq;
Percontata SIGISMVNDI super indole multa, Colloquia Regiæ Majestatis cũ Legatis Polon,
Multa super Lechici rogitat molimine regni:
Accipiunt redduntq; sonos interprete nullo,
Tanta peregrinæ sedet experientia linguæ! Quorum vtriq; summa linguæ Gallicæ notitia.
Ergo salutati reduces à limine Regis
Celsa Niuernani petiêre Palatia Tecti.
O decus antiquum! lucrosi ò meta laboris!
Quis tibi tũc LVDOVICA animus, cùm propter eũtes
Prospiceres de turre Lechos tibi dona ferentes Palatium Ducum Niuernẽ.
Dona VLADISLAVM, & medii suffragia Regni? LVDOVICA MARIA.
Non fasces Rex ille tibi GONZAGA, sed vltro
Pectoris Heröi facilem submittit Amorem.
„ Et regno, & totâ dotabere LIBERTATE.
„ Præsul vt vnanimi stipatus Achate, profundum
„ Augustale subit, sic temperat orsa duorum:

Vltima curarum ſtatio, ſupremaq; merces
Et Nurus & Regina Lechi: de ſtirpe Dearum
Deſcendens veterum ſalue Dea. moribus aurum
Ingenio gemmas extinguere nata, pudicam
Huc attolle aciem, taciti quid conſcia ſignet
Baiula ſermonis, quid litera fida loquatur.
Sic equidem ſpondente polo LVDOVICA futurum
Ducebas animo: nec te ſpes irrita luſit.
Tranſcendunt Tua vota modũ. Si ſerò merentem
Te comitatur Honor, fortunæ culpa morantis
Illa fuit; ſed præpes Amor caſtigat vtrumque
Crimen. habet Regnum non ambitioſa cupido.
Hâc Lechici virtute Patres, his moribus optant
Viuere, nutriti ſub LIBERTATE Quirites.
Hæc ait: & medijs adamantina munera dictis
Ter ſacræ ſimulachra Crucis dotalia miſcet;
Qualia non Pyrrhi cælauerat Annulus, auſi
Nectere cum Muſis & Apolline, grande Trophæum
Regnantis poſt buſta DEI de vindice ligno.
Haud aliter ſpectante rubet Lauinia Turno,
Natiuo Regina recens quàm purpurat igni,
Vicinas prægreſſa genis & vertice Nymphas.
Iamq; recedebat thalamis, tamen vſq; tuentûm
Se ſignari oculis, & ad extera ſceptra vocari
Gaudebat maturus Honor: nec enim altior vllis
Maieſtas humeris inſederat, ore venuſtas.
Tunc Symphoniacæ diſcors concordia rixæ
Mollibus incubuit neruis: tunc nubis ahenæ
Sulphurei tonitrus, & fulmina turribus altis
Ad numerum tonuêre. Stupet Vulcanus & antra
Arrigit. Interea argutis inſibilat aër

LESZCZYNII Oratio ad LVDOVICAM

Cui offert Epiſtolã à Rege Pol.

ſponſalitiã donaria eorumq; forma & pretium.

Verecundia LVDOVICÆ

Muſica erudita Tormẽtorum expleſiones.

Inni-

Ign bus, & fausti volitant per inane Cometæ,
Ac vinci dubiam superant funalia noctem.
Regales tum verò focos & diuite luxu
Instaurare dapes Bacchusque Cerescq; laborant
Obsequiis feruente domo. Stant vasa Corinthis
Cæsa notis: aulæa virent: operosa supellex
Fulgurat. hîc Proauûm numerosa per atria pendet
Effigies; hîc penè loquax spirantia marmor
Prælia mentitur. Trabeis & murice flagrat
Regia, vix fidei spatium, vix lumina rebus
Sufficiunt; sed plura latent penetralibus imis.
Prodiga Sidoniam ne fama loquatur Elisam
Fluctibus enantes, laceræ post Pergama Troiæ
Dignatam tecto profugos, Regemque per ignes,
Tela per, & strictos abeuntem cominus enses.
Dicam torua licet Dido audiat, audiat Anna.
Lutetiam Pater Æneas, & fidus Achates
Et puer Ascanius, medioq; reuersa iuuentus
Gurgite, posthabitâ mallet Carthaginis arce.
Nec gemmis violant epulas auroque, fideles
Immiscent pateris animos & vota propinant:
Connubij per sacra, per augustos Hymenæos
Spumanti liquidas Ducunt cratere salutes.
Regna bibat cyathis Antonius integra, totas
Eliquet in pretium gemmas miracula Gangis.
Si mentum mentemq; mero confundit eodem,
Ne sibi tam caro placeat Cleopatra Falerno.
Arboreas tondente comas & prata Nouember
Ibat equo, cùm peruigilans Opalinius infit:
Surgamus, monet Hora, monent præsagia mentem.

Artificiosi ignes.

Nocturna spectacula.

Apparatus cõuiuij regalis.

Regnum bibisti Antoni. Vox Cleopatræ Gemã aceto eliquantis.

Nouẽber.

Anxia

Anxia sollicitì mihi Regis oberrat imago *Anxia Vladislai expectatio.*
Per noctem, tardum damnantis Oriona. Semper
O dubias in Amore moras momentaq; ! Tellus *Amor, solicitu res timoris.*
Gallica serò vale; dotalia regna valete
Vel Genero, tantaq; Nuru, vel vtroq; beata. *Vale dicitur Galliæ,*
Nam quid ego votis Lechiæ iam plura paciscar,
Præterea. nil maius habet quod Gallia nobis
Proferat, aut si fors habeat, cepisse velimus *Reditus Legatorum fortunatus,*
Donati potiore Helenâ. spes certa sedebit
Post Equitem, Lechicas Dominâ veniente sub oras.
Macte ingens animi Princeps, quo numine, quoue *Faustæ acclamationes Vladislao IV.*
Ordine fatorum, in Patris tibi nomen eunti
Molle geri placuit rigidis Hymenæon in armis?
Qui gurges tam surdus aquæ? quæ regna remotis
Belgarum diuisa plagis, quod littus Hetrusci
Tybris, & occidui deuexa cubilia solis, *Celeberrimi fluuij Germaniæ Belgij &c,*
Aut Tagus & Ganges aut Scaldis, & Ister, & Albis,
Auritus Rhodaniq; latex, argutaq; Rheni
Marmora, partitis non detonuêre triumphis *Regũ nuptiæ quam late pateât*
Pacifici Tua Festa Tori? Vocale maritis
Regibus est nomen, vocalia gaudia. Nubunt
Omnia felici sub Principe regna, Fidesque,
„ Et pax alma iugo manibusq; cohæret iisdem.
„ Vltimus infidi restat labor ire per æstum
„ Balthidis. Ergo illum Regina seuerior oris *Balthicum*
„ Increpat, & primæ reminiscitur aulæ rapinæ:
(Mitis & hîc etiam) Non hos, ait, improbe mores *Tẽpestatibus iactatæ naues Lesczynij*
Præsuleæ meruêre Rates, meruêreq; magni
Sceptra Vladislai, prædator vt æquoris audax
Nauibus obstreperes Lechicis, vbi iura, Fidesquè?
Accipit ille minas, pudibundaq; gurgitis aluêo

Ora tegens, famulâ gestat ceruice Carinas,
Spectat vbi Septem celsâ de turre. Triones
Dantiscùs, duplici latè circumflua portu.

Dantiscus

Non mihi si totidē linguis, quot compita rhedis
Verba sonent; sperem innumeros euoluere rerum
Tantarum cumulos. Vehitur non lege sub vna
Per fora perq; domos, pompæ variantis imago,
Molliter hexaphoris, flictuque impulsa rotarum.

Eiusq; in Reginæ ingressu triumphus

Versicolor chlamydum retegit discrimina fucus.
Hic albet, viret hic, hic subrubet, ille nigrescit.
Haud secus ac picto crispata papauera vultu
Multiplices referunt habitus. Hyacinthina stare
Colla, putesue crocos, aut Lilia mista rosetis,
Vdaque cæruleum Violaria ferre capillum.

Gedanensium discolor equitatus.

Pande fores vrbs alta, subit noua mænia primùm
Et ciues Regina suos; Quam tempora Veris
Et Natalitio stipârunt LILIA vallo.
Tolle tuam, potior PHAROS en attollitur, astris
Finitimum sortita caput, natalibus ortæ
Lucis, Hyperboreos illustratura Triones.

A Magistratu more Regio introducitur.

Laterna, Pharus, Balthica.

Protinus i centum pedicis, centumque gementes
Obijcibus gazas, & gemmea prome Tributa
Vistulei reserans æraria prodiga censûs.

Donaria Ciuitatis nomine oblata Serenissimæ

Cernis vt adscitæ festinat ad oscula Matris
Ascanius, breuibusque humeros amplectitur vlnis.
Nil agit Astyages Cyro. Fortuna pepercit
„ Expositum quem mallet auus. Nec Iüle Nouercam
„ Tu colis, in MARIA tibi fas reperisse RENATAM
„ Quæ SISMUNDE suos in Te transfundat amores,
O decus, & lauros conseruature paternas!

Sigismūdo Casimirus non senr orbitatem Dum Matris loco accipit Ludouicam;

Fallor? an hæc illa est Regum Varsauia nutrix

(Cui cedit clamata Iouis Vagitibus Ida)
Principis opperiens aditus? Matresque videndi
Effusæ studio? Lechici stant prima Senatûs
Lumina: crebrescunt populi, Mauortia Pubes
Ardet in occursus. Micuerunt aduena passim
LILIA, Gallorumque retrò genialis inerrat
Tempestas Equitum. Indigetes occurrere Diuos
Crediderim! sic templa calent, sic Ara peractum
Firmat opus præsente fide! sic Annulus auro
Cognatas Heroum animas felicis in orbem
Nectit amicitiæ. Regum sacra fœdera, regni
Fœnora sunt. Clausit reliquos OSOLINIA Suadæ
(Lipsiacis tornata modis) opulentia plausus:
Hoc demùm LUDOVICA tuo restabat agendum
Delício, gelidum trans-vt-plantaret in orbem
LILIA, Sarmaticæ radio inscribenda coronæ.
Arctoæ procul ite niues, procul hispida brumæ
Regna, Terapneis ver halat odoribus, ex quo
Reginas Aquilas, & Gallica LILIA Reges
Accepit natale solum, Fortunaque Lechi.
O benè quòd trifidi qui fulminis ante minister
Sarmatico sua tela Ioui referebat & ignes,
In placidi conclaue tori, iam pacis Oliuam
Inuehit, & solitò bipatentibus amplior alis
Insternit patrium Rethelano Stemmate nidum.
Dotales GONZAGÆ Aquilas nostratibus augens.
Consimiles animæ norînt vos Fata: Sororum
Attonitas terrete colos, & serò Deorum
Cætibus asserti Superis accumbite mensis.
Musa Genethliaco redeat mihi sæpè cothurno
Veridicas afflante lyras & barbita cœlo.

Varsauia Regũ Pol. residentia. 10 Martij lectissimo comitatu Varsauiam inuecta est Ludouica.

Georgius Ossolinius Cancellarius Regni salutat Ludouicam.

Aquila Sarmatica.

Rhetelon Princeps.

Aquila Gonzagarum. Serenissimis Maiestatibus benè precatur.

Augu-

Augurium non astra dabunt sed Numina Regum
In consanguineæ venientia Stirpis Honores.
REX Patriæ commune bonũ, quo Sospite vernat
Florida Libertas Lechiæ; cùm Sceptra nec ambit
Extera, nec metuit, proprioque beata, refellit
Instabilis promissa Deæ. Magis illa virescit
Laurea, sanguineæ quam prolicit humor arenæ.
Quod venit è facili vile est. Plerumque Trophæa
Plus ferro contacta nitent. Sed tristibus ohe
Iam satis indultum, rigidis tua nomina castris
Transfer, & emerito pectus dimitte Gradiuo.
Ac licet Austriacæ tibi dulcis imago RENATÆ
Et mentem rapit orbus amor, veterisque recursat
Incorrupta fides animi; tamen hospita Regum
Natio, ne steriles numeret sine pignore Fastos,
Publica SARMATICI repara dispendia SCEPTRI,
Et Patriæ Pater esse veta, sine Compare Matre.

Libertas Polon. vires agnouit suas sub VLADISLAO.

Ad VLADISLAUM

ex publico Europæ voto.

APOSTROPHE
AD
VLADISLAVM IV.

IAm Sceptris Auguste tuis age pelle COLUMBAS,
Nidificant AQUILÆ meliùs, quibus augure cælo
GALLICA Paciferum posuerunt LILIA nidum.
„ VLADISLAE fragor Schytiæ! Non milite fasces
„ Nec solo chalybum sese fulgore tuentur.
Sola fides, & sola Tuæ præsentia famæ
Barbaricum patrijs prohibebit finibus hostem.

Consilijs celerique manu Solertia pugnat
Cunctetur quanquam Fabius, neque noctis opertæ
Munere, feliciuè morâ, neque vincimus astu,
Campestres manifesta patent ad bella Poloni
Te Duce: Castrorum qui sic latus omne coronas
Vt Tibi Dictator, Tibi miles & ipse Senatus
Ter geminis videare modis & imagine formæ.
Ducimur exemplis & ducimus. Ire per omnem
Seu calor est, ASIAM, per & ultima Solis Eoi
Regna, vel Auroræ populos invadere promptum est
Pectoribus, durare acri sub Principe natis.
Militat omne tibi tempus: Tibi diuidit Horas
Armipotens maiore stylo, non clepsydra lapsu
Præcipitem confessa fugam. Capis omina pugnæ
De Iouis armigero. Neq consulis exta, sed ensem.
At non Tarquinij, qui summa papauera ferro
Decutiens, Natum patrij documenta furoris
Edocuit. Frons nube carens, & parca cruoris
Dextera componit faciles in pace Quirites,
Et Sobolem regnare docet Virtute magistrâ;
Quam Tuus augustâ qui nunc tibi ludit in aula — SIGISMUNDUS CASIMIRUS Princeps.
Combibit *Ascanius*, tardæque crepundia velox
Increpat ætatis, nec ab indole sistitur, æui
Nondum plenus Honor. Magnæ Capitolia Mentis — Eius Regia indoles, & propensio ad arma.
Ingreditur, clypeumq; Patris tener ambit Alumnus
Pugnaces vlturus Auos, nomenque Parentis
Threycio fatale solo; ne turgidus vsque
Eiret Amurates, Varnâ & se iactet inultâ.
Et pacem Bellona Tibi dispensat, & arma;
Quæ fuerant ludus puero, cùm triste rubentem — Pueritia VLADISLAI
Aptares capiti galeam, bullasque iocanti
Scuta.

Scutáque, loricasque manu tractâsse iuuaret.
Iam tunc artifices operum narraris ad vngues
Respexisse Leo, viridi cùm Veris in ortu
Immaturus adhuc, externa per arua, minores
Terrueras ceruice feras. Nec vana Trophæo
Miltiadis fuit illa fides, quâ gesta parentis
Æmula, sollicitos poterant tibi rumpere somnos.
Alter hic est Marathonis ager, sunt altera Daci
Arua, Seguntinis veterum potiora Triumphis.
Decolor hîc pariter Simois, Xantusque superbit
Magnarum exuuijs animarum, trunca Gelonûm
Corpora transmittens Minôis ad vsq, Tribunal.
  Sic dubijs fidei quaritur dum fessa tot annos
Moribus Europe, mites Tibi tempus in vsus
Labitur, & placidam præbent rara fœdera pompam.

FINIS.

Errata sic corriges.

Folio 21. versu 2. liquiliorem, lege liquidiorem. fol. 56. ℣. 5. animæ lege animi. fol. 94. ℣. 17. nec, lege ne. fol. 98. ℣. 25. pretiu, leg. pretium. fol. 99. ℣. 26. iucuda, lege iucunda. fol. 100. ℣. 11. angustiores, lege augustiores. fol. 110. ℣. 22. da, lege ad. Ibid. ℣. 26. adesto, lege ad esse. fol. 114. ℣. 2. ipsa, lege ipse, fol. 115. ℣. 8. propopofita lege proposita. fol. 116. ℣. 3. axcussisset lege excussisset. fol. 123. ℣. 8. commitem lege comitem. fol. 129. ℣. 8. feni lege fæni. fol. 136. ℣. 17. Viridarum, lege viridarium. fol. 138. ℣. pstronianæ, lege Pstrokonianæ. fol. 144. ℣. 4. remidia, lege remedia. fol. 148. ℣. 13. Naria, lege Mariæ. fol. 166. ℣. 8. attoli, lege attolli. Ibid. ℣. 14. gloria, lege gloriæ. fol. 168. ℣. 8. colem, lege cotem. Ibid. ℣. 23. pattiæ, lege Patriæ. fol. 174. ℣. 13. infula, lege infulæ. fol. 176. ℣. 5. non delę. Ibid. ℣. 12. præstititæ, lege præstite. fol. 183. ℣. 25. aunulum lege annulum. fol. 184. ℣. 15. amplitheatro, lege amphitheatro. Ibid. ℣. 25. opportuerit, lege

lege oportuerit. fol. 188. ℣. 23. euolante, lege euolante. fol. 193. ℣. 1. cæstrensis, lege castrensis, fol. 205. ℣. 17. Ecclesiam lege Ecclesiarum. fol. 219. ℣. 11. prouinciis, lege prouinciis. fol. 220. ℣. 2. gleriæ, lege gloriæ. Ibid. ℣. 25. iu, lege in. fol. 222 ℣. 19. depressoquo, lege depressoque. fol. 226. ℣. 1. teneutis, lege tenentes. fol. 229. ℣. 14. ad, dele. fol. 242. ℣. 16. fecissent, lege fecisset. fol. 243. ℣. 25. persouatæ, lege personatæ. fol. 261. ℣. 22. Obliita, lege oblita, fol. 271. ℣. agent, lege agente. fol. 278. ℣. 17. apparitissimæ, lege apparatissimæ. fol. 284. ℣. 21. commiscentium. lege Comminiscentium. fol. 302. ℣. 20. multa ma? nebit, lege multa? manebit, fol. 303. ℣, 25. Nemcsis, lege Nemesis. fol. 304 ℣. iu, lege in fol. 307. ℣. 8. propriore, lege propiore.





C

Calami probatio

